

1-1-1954

Constitutions Latin: 1954

Recommended Citation

"Constitutions Latin: 1954" (1954). *Constitutions and Rules*. Paper 19.
http://via.library.depaul.edu/cm_construles/19

This Article is brought to you for free and open access by the Official Documents at Via Sapientiae. It has been accepted for inclusion in Constitutions and Rules by an authorized administrator of Via Sapientiae. For more information, please contact mbernal2@depaul.edu.

**CONSTITUTIONES
AC
REGULÆ
CONGREGATIONIS MISSIONIS**



PARISIIS

In domo primaria Congregationis Missionis
95, Via dicta de Sèvres, 95

1954

INDEX GENERALIS

Litterae promulgationis	11
Litterae Apostolicae (19 julii 1953).	13-15 et 164-165
TITULUS I. - De institutione, de fine Congregationis et de praecedentia inter personas	15
Caput I. - De institutione et fine Congregationis	15
Caput II. - De praecedentia inter personas	17
TITULUS II. - De regimine et constitutione Congregationis	19
Caput I. - De regimine Congregationis	19
Caput II. - De provinciis, viceprovinciis et domibus Congregationis	22
TITULUS III. - De Superioribus et Conventibus Congregationis	26
Caput I. - De Superiore Generali	26
Caput II. - De Vicario Generali	32
Caput III. - De Consilio Superioris Generalis	37
Caput IV. - De Admonitore Superioris Generalis	39
Caput V. - De Secretario generali	40
Caput VI. - De oeconomio generali	42
Caput VII. - De Procuratore generali apud S. Sedem	43
Caput VIII. - De Conventibus in genere	46
Art. 1. - De voce activa et passiva	46
Art. 2. - De procedendi modo	49
Caput IX. - De Conventu generali in genere	51
Caput X. - De Conventu generali ad electionem Superioris Generalis et Assistentium generalium	53
Caput XI. - De Conventu generali ad tractanda negotia et ad postulata proponenda	58
Caput XII. - De Conventu provinciali	62
Caput XIII. - De Conventu domestico	66
Caput XIV. - De Visitoribus deque Vicevisitoribus	68
Caput XV. - De Consilio Visitoris et de examineribus	74
Caput XVI. - De Superioribus localibus	76
TITULUS IV. - De Confessariis	81
TITULUS V. - De bonis temporalibus	84
TITULUS VI. - De admissione in Congregationem et de probatione sodalium	88
TITULUS VII. - De votis	97
Caput I. - De natura votorum Congregationis	97
Caput II. - De paupertate	100
- Ratione voti	100
- Ratione virtutis	105
Caput III. - De castitate	106
- Ratione voti	106
- Ratione virtutis	107

Caput IV. - De obedientia	110
- Ratione voti	110
- Ratione virtutis	111
Caput V. - De voto stabilitatis	113
TITULUS VIII. - De ratione studiorum	116
TITULUS IX. - De sacra ordinatione	122
TITULUS X. - De fratribus coadiutoribus	124
TITULUS XI. - De obligationibus et de piis exercitiis	127
Caput I. - De obligationibus	127
Caput II. - De piis exercitiis in Congregatione observandis	136
TITULUS XII. - De ministeriis Congregationis	146
Caput I. - De missionibus, de Seminariis et de ceteris Congregationis functionibus erga proximum obeundis	146
Caput II. - De paroeciarum rectoribus	155
TITULUS XIII. - De egressu et dimissione Nostrorum a Congregatione	159
REGULÆ COMMUNES Congregationis Missionis a S. Vincentio datae [omitted]	167-245
INDEX REGULARUM [omitted]	247-248
INDEX ANALYTICUS CONSTITUTIONUM ET REGULARUM CONGREGATIONIS MISSIONIS	

11

GULIELMUS SLATTERY
Superior Generalis Congregationis Missionis
dilectis nostris in Christo
ejusdem Congregationis
Sacerdotibus, Clericis
et Fratribus Coadjutoribus
Salutem in Domino

En tandem, Fratres dilectissimi, ut mihi cum Sancto Vincentio vobis dicere liceat, en Constitutiones nostrae Congregationis tantopere a vobis desideratae. Tres Conventus generales sedulo adlaboravere ut omnes leges Congregationis nostrae ad praescripta Codicis Juris Canonici accommodarent. Omnibus autem diligenter examinatis et excussis, a S. Congregatione negotiis Religiosorum Sodalium praeposita recognitae sunt, paucis quibusdam additis, aut mutatis.

Pius vero PP. XII pro Sua in Congregationem nostram benevolentia, Suis Litteris Apostolicis die XIX Julii anni MDCCCCLIII, in Festo Sancti Vin-

12

centii Fundatoris nostri, datis, Constitutiones nostras, suprema Sua potestate in forma specifica approbare, confirmare et sancire dignatus est.

Eas itaque, ex officio nostro promulgamus et promulgatas esse declaramus, vos, Fratres dilectissimi, rogantes et obsecrantes in Domino Jesu ut in exactam earundem observationem ita incumbatis ut Congregatio nostra, Deo favente ac Sancto Vincentio adjuvante, magis ac magis vigeat et floreat amplioremque fructuum copiam in suis ministeriis colligat, omnesque eius Sodales, primigenio Vincentiano spiritu imbuti, "bonus odor sint Christi Jesu" in omni loco.

*Datum Lutetiae Parisiorum in domo nostra primaria die XXV januarii anno MDCCCCLIII.
in festo Conversionis Sancti Pauli.*

*Gulielmus SLATTERY
Sup. gen. C. M.*

13

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam

Evangelium ad pauperes perferre, praesertim ad eos, qui rus incolunt, sacrorum administros rite informare ad pietatem ac doctrinam, caritatis officia omne genus exercere,

egregium est et salutare munus, quod Sanctus Vincentius a Paulo, divinae cuidam impulsioni obsecutus, seu Presbyterorum sodalitati, seu Congregationi Missionis, quam dicunt, praestituit.

Quae quidem, anno MDCXXXII ab Urbano PP. VIII, Decessore Nostro, approbata, cum legiferi Patris servaret instituta, laetis est aucta incrementis multumque contulit ad Ecclesiae decus atque salutem animorum. Ut autem, quasi in composita civitate, leges cum muneribus plane congruerent, Clemens PP. X, item Decessor Noster, Constitutiones selectas, quae vocantur, ratas habuit et probavit, ad quas temporis successu plura sunt adjecta generalium ejusdem sodalitatis conventuum consulta.

Anno denique MDCCCXXXVII, sacrum hujusmodi praesidium concilium omnes leges ad praescripta Codicis Juris Canonici accommodavit aliasque, utpote usu comprobatas, adjunxit. Quae omnia

14

Sacrum Consilium Religiosis Sodalibus praepositum diligenter recognovit, quibusdam rebus additis vel immutatis, quo Vincentiana haec Presbyterorum sodalitas magis vigeret amplioremque meteret copiam trucium et promeritorum. Has vero leges ut Nostra auctoritate probaremus, submissae Nobis adhibitae sunt preces, quibus pro Nostra voluntate in Vincentianos eosdem sodales, apostolica exsequentes munera, statuimus libenti animo obsecundare. Quapropter, e Sacrae Congregationis negotiis Religiosorum Sodalium praepositae consulto, omnibus attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum CONSTITUTIONES CONGREGATIONIS MISSIONIS, a memorato Sacro Consilio recognitas, APPROBAMUS ET CONFIRMAMUS IISQUE APOSTOLICÆ SANCTIONIS ROBUR ADICIMUS, dummodo convenient cum exemplo, quod in Tabulario Sacrae ejusdem Congregationis Religiosis praepositae asservatur, et cujus prima verba sunt « Congregatio Missionis, a Sancto Vincentio a Paulo anno MDCXXV

15

instituta », extrema autem « et res ad Sacram Congregationem de Religiosis deferatur », nempe sint tenoris qui sequitur.

TITULUS I

DE INSTITUTIONE, DE FINE CONGREGATIONIS ET DE PRÆCEDENTIA INTER PERSONAS

CAPUT I

De institutione et fine Congregationis

1. - Congregatio Missionis, a S. Vincentio a Paulo anno 1625 instituta, est societas clericalis exempta, in qua sodales, quamvis non sint Religiosi proprie dicti, vivendi tamen rationem

Religiosorum imitantur, in communi degentes sub regimine Superiorum secundum Constitutiones proprias cum votis non publicis, sed privilegiatis.

2. - Eius finis generalis est gloriae Dei et propriae sodalium perfectioni studere; finis specialis est
1° evangelizare pauperibus, maxime ruricolis;
2° eccle-

16

siasticos adiuvere ad scientias virtutesque acquirendas, ipsorum statui requisitas;
3° caritatis et educationis opera exercere.

3. - Congregatio clericis et laicis constat.

§ 1. - Clericorum munus est salutem animarum quaerere, missiones praedicando ubicumque ab Ordinariis vel a parochis vocentur, confessiones suadendo et excipiendo, iurgia et lites componendo; sacras expeditiones apud infideles de mandato S. Sedis ducere; seminaria dioecesana regere et in illis docere; exercitia spiritualia ecclesiasticis ac laicis tradere; conferentias ecclesiasticorum convocare et dirigere; confraternitates Caritatis instituere et alia munia praedictis functionibus convenientia et conformia obire.

§ 2. - Fratres coadiutores, quoad vitam religiosam, secundum tamen eorum statum, iisdem fruuntur iuribus ut clerici, nullam vero partem habent in regimine Congregationis. Eorum est clericos in supradictis ministeriis, prout eis a Superioribus praescriptum fuerit, adiuvere.

17

4. - Finis specialis Congregationis sine licentia S. Sedis mutari nequit.

CAPUT II

De praecedentia inter personas

5. - Ordo praecedentiae inter Congregationis personas sequens erit:

§ 1. - Superior Generalis; Assistentes generales iuxta ordinem electionis; Secretarius generalis, Oeconomus generalis et Procurator generalis apud S. Sedem iuxta ordinem vocationis et aetatis; Visitatores et Vicevisitatores iuxta ordinem vocationis et aetatis; Superiores locales iuxta ordinem vocationis et aetatis; alii sacerdotes et clerici iuxta gradum ordinis et in eodem ordine iuxta vocationem et aetatem; fratres coadiutores iuxta ordinem vocationis et aetatis.

§ 2. - In domibus nostris Superior tantum et Assistens habent locum peculiarem inter ceteros.

§ 3. - Visitator in omnibus domibus suae provinciae primum locum occupat.

§ 4. - Delegatus a Superiore Generali

18

ad canonicam visitationem alicuius domus faciendam, in ea primum locum occupat toto tempore visitationis.

§ 5. - In Conventibus, hic erit praecedentiae ordo:

1° In Conventu domestico, post Superiorem, secretarium et scrutatores, sedent vocales;

2° In Conventu provinciali, post Visitatorem, secretarium Conventus et scrutatores, sedent Superiores, Oeconomus provincialis et delegati iuxta ordinem vocationis et aetatis;

3° In Conventu generali, post Superiorem Generalem sedent secretarius Conventus, Assistentes iuxta ordinem electionis, Secretarius generalis, Oeconomus generalis, Procurator generalis apud S. Sedem et Visitatores iuxta ordinem vocationis et aetatis, delegati iuxta eundem ordinem. Substitutus Visitoris, qui sit impeditus, sedet inter Visitatores, sed ultimo loco; substitutus delegati inter delegatos iuxta ordinem vocationis.

19

TITULUS II

DE REGIMINE ET CONSTITUTIONE CONGREGATIONIS

CAPUT I

De regimine Congregationis

6. - § 1. - Congregatio regitur a Superiore Generali legitime electo, penes quem residet suprema auctoritas ordinaria exercenda quidem secundum ss. Canones et Constitutiones in totam Congregationem, id est in singulos sodales, sicut et in singulas provincias, viceprovincias, res, domos.

§ 2. - Superior Generalis tamen subest auctoritati Conventus generalis ad normam iuris.

§ 3. - Ceteri Superiores ea gaudent auctoritate quae intra fines sui muneris comprehenditur.

7. - Superior Generalis in regenda Congregatione tam quam adiutoribus utitur Assistentibus generalibus, ita tamen

20

ut penes ipsum sit facultas decernendi quae agenda sunt, exceptis casibus a iure et a Constitutionibus expressis.

8. - Conventus generalis, Superior Generalis, Visitatores provinciarum, Vicevisitatores, Superiores domorum, sive sint formatae sive non, in subditos, praeter potestatem dominativam et illam quae a voto obedientiae profluit, iurisdictionem quoque ecclesiasticam habent tam pro foro interno quam pro foro externo, utramque exercendam ad normam ss. canonum ac Constitutionum.

9. - § 1. - Congregatio Missionis, seminaristi suis non exclusis, cum suis domibus et ecclesiis, privilegio exemptionis ab Ordinariis locorum iurisdictione ex speciali Apostolica concessione gaudet, praeter quam in casibus a iure expressis et speciatim quod ad missiones spectat.

§ 2. - Omnes Congregationis sodales, fratribus coadiutoribus et seminaristis non exclusis, gaudent clericorum privilegiis de quibus in can. 119-123 aliisque Congregationi concessis.

21

10.- § 1. - Superiores, tum maiores, tum minores, consultores habeant.

§ 2. - Cum autem ius statuit Superiores ad agendum indigere consensu vel consilio: tunc, si consensus exigitur, Superior contra consultorum plura suffragia agens, invalide agit; si consilium tantum exigitur, e. g. « de consilio » aut « audito consilio », satis est ad valide agendum ut Superior consultores audiat.

§ 3. - Attamen, quamvis nulla obligatione accedendi teneatur ad eorum suffragia, etsi concordent, multum tamen Superior concordibus eisdem suffragiis deferat, nec ab eis sine praevalenti ratione, suo utique iudicio aestimanda, discedat.

11. - Superiores maiores, qui ad normam can. 198, § 2 veniunt nomine Ordinarii Congregationis, possunt notarios constituere pro negotiis ecclesiasticos nostrae Congregationis, necnon iudices, e Nostris eligendos, pro eiusdem tribunalibus, firmo tamen praescripto can. 655, § 1.

12. - Superiores tenentur notitiam et executionem decretorum S. Sedis

22

quae Congregationem nostram respiciunt suos inter subditos promovere.

CAPUT II

De provinciis, viceprovinciis et domibus Congregationis

13. - Congregatio in provincias et viceprovincias dividitur, territorialibus limitibus circumscriptas.

14. - § 1. - Provincia, cui praeest Visitor, saltem sex domibus constare debet canonice erectis.

§ 2. - Viceprovincia constitui debet saltem tribus domibus, et regitur a Vicevisitore.

15. - Duplicis speciei viceprovincia esse potest:

1° Viceprovincia autonoma, illa scilicet quae a nulla provincia plene constituta pendet, sed a Vicevisitore regitur sub directa et immediata potestate Superioris Generalis, sicut aliae provinciae plene constitutae:

23

2° Viceprovincia filialis, illa nempe quae originem ducit ex alia provincia iam plene constituta, a qua membra sua accipit et cum ea aliquid totum efformat, et regitur a Vicevisitore sub directa et immediata potestate Visitoris provinciae cui coniungitur

16. - § 1. - Provinciarum seu viceprovinciarum constitutio, coniunctio, divisio aliacumque circumscriptio et suppressio pertinet ad Superiorem Generalem cum voto deliberativo sui Consilii et praehabita licentia S. Sedis, si provincia ve viceprovincia autonoma sit.

§ 2. - Curet Superior Generalis ut inter diversas provincias debita habeatur proportio quoad numerum domorum et sodalium, et, si res ferat, dividantur illae qua nimis extensae sunt, praesertim si regioni bus valde distantibus comprehenduntur

17. - Divisa provincia seu viceprovincia autonoma ita, ut distincta provincia seu viceprovincia autonoma erigatur, etiam bona omnia quae in commodum provinciae vel viceprovinciae erant destinata et res alienum quod pro provincia

24

vel viceprovincia contractum fuerat, a Superiore Generali cum suo Consilio debita proportione ex bono et aequo dividi debent, salvis piorum fundatorum seu offerentium voluntatibus, iuribus legitime quaesitis, ac normis particularibus quibus provincia seu viceprovincia regitur.

18. - § 1. - Singulae domus a suo Superiore locali reguntur; illae dicuntur formatae, quae constant sex sodalibus qui vota emisissent, quorum quatuor saltem, sint sacerdotes.

§ 2. - Erectio et suppressio domorum pertinet ad Superiorem Generalem de consensu sui Consilii, praehabita quidem licentia S. Congregationis de Religiosis et Ordinarii loci scripto data et etiam S. Congregationis de Propaganda Fide seu Orientalis, si domus erigenda sit in locis eisdem subiectis. Non procedat tamen Superior Generalis, nisi audito Visitatore vel Vicevisitatore cum suo Consilio.

§ 3. - Constituendae novae domus permissio ab Ordinario loci data secum fert facultatem habendi ecclesiam vel pu-

25

blicum oratorium domui adnexum ad normam can. 497, § 2.

19. - Superior Generalis ius habet iusta de causa sodales ab una provincia ad aliam, ab una domo ad aliam transferendi, necnon ius erigendi, gravi de causa, domum unius provinciae in territorio alius, de consensu sui Consilii et auditis Visitoribus quorum intersit.

26

TITULUS III

DE SUPERIORIBUS ET CONVENTIBUS CONGREGATIONIS

CAPUT I

De Superiore Generali

20. - Superior Generalis in perpetuum constituitur per electionem factam a Conventu generali ad duas tertias partes suffragiorum ad normam art. 78-80.

21. - Ad validitatem electionis requiritur ut Superior Generalis:

1° Natus sit ex legitimo matrimonio;

2° Annos quadraginta compleverit;

3° In Congregatione saltem duodecim annos expleverit post primam votorum emissionem ;

4° Characterem episcopali non sit insignitus, nec officium gerat Vicarii aut Praefecti

Apostolici, licet characterem episcopali careat.

27

22. - Praeterea eligendus est qui:

1° Sit, quantum humana patitur infirmitas, ab omni affectu inordinato immunis et virtutum studiosissimus, praesertim humilitatis et caritatis;

2° In suis orationibus et actionibus maxime cum Christo Iesu unitus;

3° Iudicio solido, scientia non mediocri, sed magis adhuc prudentia atque discretione dotatus, sciat coniungere rectitudinem et severitatem cum mansuetudine et benignitate ;

4° Animi vigilantia, robore et firmitate polleat ;

5° Rerum Congregationis notitiam et experientiam sufficientem acquisiverit;

6° Habeat corpus sanum et bene formatum, necnon penes Nostros et externos bene audiat.

23. - § 1. - Superior Generalis post suam electionem quamprimum poterit exercitiis spiritualibus vacabit; quibus absolutis, in schedula coram Deo scribes nomen illius quem in Domino iudicaverit idoneum, se vita functo, ad officium Vicarii Generalis obeundum usque ad futuram Superioris Generalis electionem,

28

et includat schedulam clausam et obsignatam in area, accurate servanda in archivo domus in qua residere solet.

§ 2. - Si Vicarius designatus interim obierit aut ineptus evaserit, poterit Superior Generalis alium nominare.

24. - Superiori Generali ius et officium est:

1° Omni cura studere ut spiritus S. Fundatoris firmus et fervens ubique retineatur, et Constitutiones ac Regulas serventur;

2° Ordinationes condere in bonum Congregationis, quae observandae sunt, nisi a successore aut a Conventu generali aliter provisum fuerit;

3° Visitationem canonicam domorum, provinciarum, viceprovinciarum, missionum sive per se, sive per alium a se delegatum peragere;

4° Uti facultatibus specialibus a S. Sede Congregationi per indulta concessis et eas subditis communicare, imminuere, revocare prout magis expedire censuerit;

5° De consensu sui Consilii instituere Secretarium generalem, Oeconomum ge-

29

neralem, Procuratorem generalem apud S. Sedem, Visitatores, Vicevisitatores eorumque officiales, Superiores domorum, eosdemque, iusta de causa, destituere;

6° Uti, si casus ferat, opera Commissariorum, quibus tanta potestas erit quantam Superior Generalis requiri censuerit;

7° De consensu sui Consilii, erigere provincias vel viceprovincias et domus easque suppressere, iis servatis quae a iure et a Constitutionibus praescribuntur;

8° Admittere in Congregationem sodales et ad prima vota, de consensu sui Consilii; ad vota perpetua, de eiusdem consulto, quos dignos aestimaverit, necnon admittere ad sacri presbyteratus ordinem candidatos de consensu sui Consilii, salvo iure Visitoris et Vicevisitoris autonomi;

9° Cum voto deliberativo sui Consilii, sodales durantibus votis dimittere, ad normam Codicis Iuris Canonici; paenis canonicis uti contra contumaces;

10° Contractus maioris momenti, servatis de iure servandis, inire; in rebus tamen maximi momenti de consensu

30

suorum Assistentium, iuxta normas a Conventu generali datas;

11° Convocare Conventum generalem, ipsumque dirigere et convocatos, de consensu ipsius Conventus, dimittere;

12° In omni Conventu, cui praeest, praerogativa gaudere dirimendi suffragiorum paritatem, ad normam can. 101, salvis art. 36 et 83;

13° Admittere, consultis suis Assistentibus, convictores ecclesiasticos in aliqua nostra domo per aliquod tempus notabile vel per reliquum vitae tempus;

14° Singulis quinquenniis relationem de statu Congregationis ad S. Sedem mittere, iuxta normas a S. Congregatione de Religiosis traditas, et alias relationes quandocumque a S. Sede requirantur.

25. - § 1. - Superior Generalis additiones, mutationes vel derogationes sancire non potest in Constitutionibus approbatis a S. Sede, nec authentice interpretari; valet vero usuaem interpretationem dare.

§ 2. - Superior Generalis privilegiorum

31

nostrorum usum potest suis subditis restringere, coarctare, immo etiam tollere.

§ 3. - Acceptare nequit dignitates ecclesiasticas absque consensu Conventus generalis, nisi de praecepto vel licentia S. Sedis.

§ 4.- Ut totius Congregationis gubernationi impensius et perfectius vacare queat, nullius domus peculiaris nec domus Curiae generalis regimini ullo modo vacabit.

§ 5. - In nullum opus externum etiam pium, quod nec ad officium suum, nec ad Institutum pertineat, per se incumbet, nisi maior Dei gloria, urgensque proximi necessitas aliquando id exigant.

26. - Cessat Superioris Generalis officium per ipsius renuntiationem legitime acceptatam a S. Sede, aut per eius depositionem a S. Sede decretam.

27. - Si evenierit ut Superior Generalis manifeste indignus vel ineptus factus fuerit ad munus suum adimplendum, tunc Assistentium erit de re certiores facere S. Sedem, cuius mandatis standum erit.

32

28. - Superior Generalis ne mutet residentiam suam de domo principis, inconsulta S. Sede.

CAPUT II

De Vicario Generali

29. - § 1. - Vacante quacumque de causa officio Superioris Generalis, ipsa die vacationis vel quamprimum, prior ex Assistentibus praesentibus in domo convocabit omnes sacerdotes qui tunc domi fuerint, servatis praescriptis normis pro casu.

§ 2. - Scheda, manu Superioris Generalis scripta pro nominatione Vicarii Generalis, legatur elata voce a Secretario generali Congregationis.

§ 3. - Is, cuius nomen in dicta scheda repertum fuerit sine controversia, Vicarius Generalis censebitur, et ut talis ab omnibus admittetur.

30. - § 1. - Si ille, qui in scheda nominatur Vicarius, interim vita decesserit, aut gravi morbo aliave causa impediatur,

33

quominus officio suo vacare possit, vel etiam, si eveniat Superiorem Generalem, non nominato Vicario Generali, mortuum esse, vel si, gravi de causa, non existat Vicarius Generalis, tunc primus Assistens ut Vicarius Generalis ab omnibus habebitur.

§ 2. - Assistentes, primo excepto, ad plura suffragia iudicabunt de morbo aut impedimento nominati Vicarii Generalis.

§ 3. - Quod si primus quoque Assistens obierit, tunc Assistens, antiquior ratione electionis, habebitur ipso facto ut Vicarius Generalis.

31. - § 1. - Vicarius Generalis statim ac designatus et recognitus fuerit, accipiet a primo Assistente claves armariorum et scrinii, in quibus sunt scripturae quas Superior Generalis apud se conservabat, quarum tamen nullam accipere poterit, nisi exigente necessitate, et ad id accitis duobus Assistentibus et Secretario generali Congregationis, atque illas quamprimum, iisdem praesentibus, reponet.

§ 2. - Diligenter et absque mora curabit

34

ut pro Superiore Generali defuncto fiant suffragia.

32. - § 1. - Utetur Vicarius Generalis iisdem Assistentibus, Admonitore, Secretario et Œconomogenerali, Visitoribus, Superioribus localibus et aliis Officialibus a Superiore Generali nominatis, quos non poterit mutare, nec alio mittere, nisi ob aliquam gravissimam causam a maiore parte sui Consilii approbatam, salvo § 2.

§ 2. - Si quis ex eis moriatur, vel ad normam § 1 alio mittatur, poterit Vicarius Generalis, urgente necessitate, cum Consultorum suorum consensu ad plura suffragia, alium in praedicti locum substituere.

§ 3. - Si forte ipse Vicarius fuerit Assistens, vel etiam si moriatur aliquis Assistentium, poterit, mediante pluritate suffragiorum, alterum substituere, non quidem in Assistentem, sed in Consultorem, qui ut talis ad Conventum generalem ius non habet.

§ 4. - Si vero Admonitoris officium vacet, illud ipso facto ad primum Assistentem

35

devolvetur, vel ad antiquiorem ratione electionis.

§ 5. - Denique, post electionem mittendorum ad Conventum sive provincialem, sive generalem, nullum ex ipsis Vicarius Generalis eo poterit mittere un de commode et opportune ad eundem Conventum venire impediatur.

33. - § 1. - Salvo § 2, non poterit Vicarius Generalis:

1° Aliquid immutare in regimine, Constitutionibus, Regulis communibus vel Officialium, neque in functionibus, exercitiis, usibus seu consuetudinibus Congregationis;

2° Admittere novas domorum foundationes, neque eas abolere;

3° Vendere vel alienare bona stabilia Congregationis;

4° Iter aggredi ad regione multum remotas;

5° Aliquem, qui vota emiserit in Congregatione, dimittere.

§ 2. - Si tamen necessitas vel gravissima causa urgeat, poterit cum Consilio suo ad plura suffragia haec omnia decernere et exsequi.

36

34. - § 1. - Conventum generalem ad Superioris Generalis electionem Vicarius convocabit, diem locumque designabit, quamprimum poterit, ita ut non possit excedere spatium sex mensium, nisi necessitas ex consensu Assistentium aliquam exegerit dilationem, non tamen ultra tres menses.

§ 2. - In Conventu generali ipsi est praerogativa paritatem suffragiorum dirimendi ad normam can. 101, salvis electionibus.

§ 3. - Deputabit cum approbatione Assistentium custodem conclavis, cui adiungatur socius.

§ 4. - Ante electionem electores a censuris absolvet et electione peracta promulgabit electum et decretum electionis formabit.

§ 5. - Post electionem cessabit ab officio Vicarii, et in sequentibus Conventus sessionibus ius suffragandi habebit, eden primus ante Assistentes et Visitores.

37

CAPUT III

De Consilio Superioris Generalis

35. - Consilium Superioris Generalis constituitur ex Assistentibus generalibus.

36. - Assistentes ad plura medietate suffragia eliguntur a Conventu generali.

37. - Assistentes in suo officio durant usque ad proximum Conventum generalem, ad normam art. 69, §§ 1 et 2; semper tamen possunt denuo eligi. Conventui intersunt ad finem usque, etiam ab officio exeuntes.

38. - § 1. - Eligendi sunt sex, de numero sive eorum qui Conventui intersunt, sive absentium, et singuli Assistentes eligi debent ex diversis nationibus.

§ 2. - Ad validitatem autem requiritur ut eligendi saltem decennium post primam votorum emissionem in Congregatione exegerint.

§ 3. - Sint viri ad exemplum et obsequii divini zelatores; inordinatis affectibus,

38

quantum humana fragilitas patitur, immunes; boni amatores; studio et zelo Instituti conservandi eiusque primaevum spiritum promovendi ardentis, et in Instituto rebusque Congregationis bene versati.

39. - Assistentes in eadem domo qua ipse Superior Generalis residere debent; nec possunt nisi propter necessitatem alio mitti ad tempus non breve; semper et necessario saltem tres sint praesentes, ut cum Superiore Generali Consilium efforment.

40. - Assistentium partes sunt:

1° Opera et consilio Praepositum Generalem in regimine Congregationis iuvare, tam in rebus pertinentibus ad doctrinam, quam in agendis;

2° Sincere et fideliter, coram Domino, a partium studio alieni, proprium suffragium seu sententiam pandere, secundum nostrae Congregationis doctrinam et praxim circa omnia quae a Superiore Generali in Consilio sint proposita, et de omnibus altum servare secretum;

3° Providere in iis quae respiciunt

39

victum, vestitum, sumptus, necnon curam corporis Superioris Generalis.

41. - § 1. - Si aliquis ex Assistentibus moriatur, substitutus nominatur a Superiore Generali, cum voto deliberativo aliorum.

§ 2. - Sed si tantum inter sex menses Conventus generalis haberi debeat, Superior Generalis non tenebitur nominare substitutum.

42. - § 1. - Assistentes removeri possunt ab officio iisdem rationibus ac Superior Generalis.

§ 2. - Durante munere deponi possunt per Superiorem Generalem cum consensu aliorum Assistentium, accedente beneplacito S. Sedis.

CAPUT IV

De Admonitore Superioris Generalis

43. - Admonitor Superioris Generalis erit unus ex Assistentibus, et eligitur a Conventu generali, sicut fit pro electione

40

Assistentium generalium ad plura medietate suffragia.

44. - Eius officium est:

1° Commonefacere Superiorem Generalem de rebus non levis momenti, quae eiusdem personam atque officium spectant, et quidem maxima cum humilitate et caritate necnon prudentia;

2° Orare peculiari modo pro Superiore Generali, quum officii sui ratione teneatur ipsius animae attendere.

CAPUT V

De Secretario generali

45. - Secretarius generalis debet esse communi bono Congregationis peraptus; eiusdem rerum studiosissimus et in eis bene versatus; Superiori Generali fidelissimus, cui sic ministretur, ut pro memoria et manibus illi sit, ad ea omnia quae scribenda vel tractanda sunt.

46. - Nominatur a Superiore Generali de consensu sui Consilii praeter Assi-

41

stentes et in munere perdurat ad nutum eiusdem Superioris Generalis, qui tamen illum remove nequit nisi iustis de causis.

47. - § 1. - Secretarii generalis munus est:

1° Superioris Generalis iussu et nomine, epistolas actaque conscribere, quae ad negotia Congregationis pertinent; item negotia ad ipsum spectantia tractare sub auctoritate eiusdem Superioris et ad normam iuris;

2° Archivi Congregationis curam habere, in quo omnes scripturas utiles accurate asservare debet; palam facere Acta S. Sedis nostram Congregationem respicientia, itemque Decreta Conventuum generalium necnon epistolas circulares Superioris Generalis, et omnia quae ad historiam Congregationis spectant; catalogum provinciarum, viceprovinciarum, domorum, personarum Congregationis conficere; defunctos nostros significare pro suffragiorum applicatione; atque notitias Nostrorum, qui pie decesserint, iuxta Superioris Generalis instructiones, typis mandare.

42

§ 2. - Ius habet assistendi Conventui generali cum iure suffragii, et Secretarium Conventus adiuvat ad conficienda decreta.

48. - Secretarius generalis ex munere intervenit deliberationibus Consilii generalis ad eiusdem acta describenda, tamen sine suffragio; ipse quoque lege secreti obstringitur.

CAPUT VI

De Œconomio generali

49. - Œconomus generalis, qui Congregationis universa bona administrat, singulari peritia in administrandis bonis et in negotiis gerendis, simul ac fidelitate et diligentia pollere debet.

50. - Nominatur a Superiore Generali de consensu sui Consilii et ad nutum eius in munere manet; removeri tamen nequit nisi iustis de causis.

51. - Ratione officii, Œconomus generalis tenetur:

1° Bona Congregationis administrare

43

sub directione Superioris Generalis et sub vigilantia Consilii generalis ad normam Constitutionum, ss. canonum et ad mentem benefactorum vel donantium;

2° Invigilare super oeconomos provinciales et domesticos, necnon super omnes qui in negotiis Congregationis partem habent;

3° Bis in anno, de administratione rationem reddere Superiori Generali cum suo Consilio.

52.- § 1. - Œconomus generalis intervenit Conventui generali cum iure suffragii; Secretarium Conventus generalis adiuvat in conficiendis decretis.

§ 2. - Consilio generali cum Assistentibus tunc tantum interest cum vocatur a Superiore Generali ad referendum pro negotiis ad suum officium pertinentibus, tamen sine suffragio.

CAPUT VII

De Procuratore generali apud Sanctam Sedem

53.- § 1. - Procurator generalis apud S. Sedem est sacerdos ex nostris qui,

44

sub directione Superioris Generalis, negotia Congregationis apud S. Sedem pertractat.

§ 2. - Romae residet, habens in Congregatione honoris praecedentiam post Visitatorem et ante Superiorem localem.

54. - Nominatur unus praeter Assistentes a Superiore Generali de consensu sui Consilii et sub immediata Superioris Generalis auctoritate constituitur.

55. - Procuratoris Generalis est:

1° Maxima cum reverentia et fidelitate erga S. Sedem ea adimplere quae a Superiore Generali ipsi commissa et transmissa vel commendata sunt;

2° Monere Superiorem Generalem de negotiis quae apud S. Sedem tractanda sunt, eique transmittere decreta, rescripta et cetera S. Sedis documenta quae Congregationem nostram respiciunt;

3° Certiorem facere Superiorem Generalem de omnibus quae ipse a S. Sede resciverit deque decretis datis a SS. Congregationibus, quae utilia fore etiam Instituto nostro videantur.

45

56. - § 1. - Nullum unquam negotium sive alicuius provinciae, sive domus Congregationis, sive etiam peculiare, praeter postulationes circa facultates ordinarias, suscipiet, nisi prius ipsi certo constet de Superioris Generalis consensu, quando agitur de rebus quae totam Congregationem aut aliquam provinciam spectant, aut audito Visitatore quando agitur de rebus quae ad domos suae provinciae attinent.

§ 2. - Omnia negotia, tam Congregationis, provinciarum, domuumve, quam singulorum sodalium, apud S. Sedem tractanda, per Procuratoris generalis ministerium expedientur.

57. - Documenta et instrumenta omnia munus suum spectantia, diligenter et accurate in Procuratoris generalis archivo servet.

58. - Procurator generalis intervenit Conventui generali cum iure suffragii.

59. - Procurator generalis, de mandato scriptis dato Superioris generalis, in Curia romana Postulatoris generalis

46

officio fungi poterit, omnibus diligenter servatis quae in Codice Postulorum edicuntur, nisi Superior Generalis alium nominaverit.

CAPUT VIII

De Conventibus in genere

Art. I. - De voce activa et passiva

60. - § 1. - Omnes sacerdotes, qui saltem vota temporaria in Congregatione emisissent, quique curriculum theologicum expleverint, voce activa gaudent, nisi eam amiserint ob aliquod delictum ex iure communi aut ex iure nostrae Congregationis.

§ 2. - Ad ius vocis passivae requiritur praeterea ut sacerdotes sex annos completos post primam votorum emissionem expleverint, firmis aliis conditionibus particularibus pro diversitate officiorum statutis.

§ 3. - Nostri qui ad dignitatem episcopalem proventi sunt, etiam tantum renuntiati, sive durante sive expleto munere carent voce activa et passiva;

47

item, durante munere, Praefecti Apostolici nullo caractere episcopali insigniti, nisi sint simul Superiores alicuius peculiaris domus Congregationis.

§ 4. - Nemo gaudere potest duplici suffragio.

§ 5. - Qui sibimetipsi suffragatus fuerit, privetur voce activa et passiva ad nutum Superioris Generalis cum suo Consilio.

61. - § 1. - Eligendi sunt in deputatos, qui habeant non mediocrem notitiam et experientiam rerum atque functionum nostrarum, ardensque studium ac verum zelum conservandi ac promovendi spiritum nostri Instituti; Constitutiones ac Regulas observent; et prudentia ad agendum polleant.

§ 2. - Electio obligationem gignit electo ad Conventum eundi: nam ut mandatum obedientiae haberi debet.

62. - Nemo in Conventibus sibi alium substituere potest proprio arbitrio, sed tantum ad normam Constitutionum et Decretorum, prout habetur in casu quo Superior vel Visitor pergere nequeat ad Conventum, cui interesse debet ex iure, ut suis in locis habetur.

48

63. - § 1. - Ante electiones faciendas licitum, immo et congruum est sibi invicem petere et dare notitias circa qualitates eligendorum.

§ 2. - Caveant tamen electores omnes a directa vel indirecta suffragiorum captatione, tam pro seipsis quam pro aliis.

64. - § 1. - Si quis ex electoribus praesens in domo sit in qua fit electio, sed electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, suffragium eius scriptum a scrutatoribus exquiratur, nisi aliter peculiaribus legibus vel legitimis consuetudinibus fuerit constitutum.

§ 2. - Suffragium est nullum, nisi fuerit:

1° Liberum; et ideo invalidum est suffragium, si elector metu gravi aut dolo, directe vel indirecte, adactus fuerit ad eligendam certam personam aut plures disiunctive;

2° Secretum, certum, absolutum, determinatum.

§ 3. - Conditiones ante electionem suffragio appositae tanquam non adiectae censentur.

49

Art. II. - De procedendi modo

65. - § 1.- In electionibus, quae omnes per secreta suffragia faciendae sunt, ad numeranda, perlegenda et proclamanda suffragia semper requiruntur tres scrutatores, qui iuramentum praestabunt de secreto servando et fidelitate circa electionem.

§ 2. - Huiusmodi scrutatores, ante electionem secretarii et assistentis electionis, ex iure sunt, una cum praeside, duo, ratione vocationis, antiquissimi ex congregatis.

66. - § 1. - Omnes sessiones inchoantur invocatione Sancti Spiritus et Beatae Virginis Mariae.

§ 2. - Postea, per ordinem sedentes, et bonum Congregationis unice prae oculis habentes, agent de negotiis in Conventu tractandis, secretario fideliter adnotante quae acta sunt necnon decreta lata.

§ 3. - Acta huiusmodi a congregatis probata et a secretario conscripta ac perlecta, subscribenda sunt a praeside, ab eodem secretario, a scrutatoribus et ab omnibus congregatis, ac, sigillo

50

Congregationis munita, in tabulario diligenter asservanda.

67. - § 1. - Cuiusvis Conventus initio, procedendum est ad electionem ipsius Conventus secretarii.

§ 2.- Ille electus habebitur, qui maiorem suffragiorum numerum tulerit, demptis suffragiis nullis, et, in casu paritatis, senior vocatione et aetate.

68. - § 1. - Congregati tenentur ad secretum servandum circa omnia quae illud requirunt iure sive naturali, sive divino et canonico, praesertim circa notitias de candidatis, tempore Conventus datas vel acceptas, et quoad manifestationem illorum pro quibus unusquisque suffragium tulerit.

§ 2. - Peracta sessione, electionum schedulae comburendae sunt.

§ 3. - Ubi Superior Generalis vel Visitator seu Vicevisitator, audito proprio Consilio, ordinem peculiarem personarum, uti sunt Visitatores qui praesto esse possunt, Superiores domorum, professores Seminariorum, sodales qui missionibus vacant, ad novas quaestiones seu formas

51

apostolatus aetatis nostrae investigandas convocat, quod congruum esse experientia satis demonstrat, Conventus eiusmodi potestate iuridica non gaudent.

CAPUT IX

De Conventu generali in genere

69. - Conventus generalis plures ob causas celebrandus venit:

1° Ordinarius: 1° Ad eligendum Superiorem Generalem;

2° Ad negotia Congregationis tractanda, octavo quoque anno, post ultimum Conventum generalem;

II° Extraordinarius: Extra dicta tempora, quotiescumque Superior Generalis, de consensu sui Consilii, censuerit eum esse celebrandum ad solvendam rem aliquam magni momenti et urgentem, quae aestimetur bene tractari non posse nisi in Conventu generali.

70. - Celebrationem Conventus generalis praecedere debent Conventus domesticus et provincialis.

52

71. - Conventus generalis convocatur a Superiore Generali vel a! eo qui eius locum tenet, tempore et loco, de assensu Consilii statutis, addita ratione convocationis.

72. - Conventui generali interesse debent: Superior Generalis, si adsit; secus qui eius vices gerit, cui competit praesidere et dirigere Conventum; Assistentes generales; Secretarius generalis; Œconomus generalis; Procurator generalis apud S. Sedem; Visitatores; duo deputati electi in singulis Conventibus provincialibus; unus deputatus electus in singulis Conventibus viceprovinciae autonomae.

73.- § 1.- Si autem ad normam art. 52 impediatur Visitator quominus se conferat ad Conventum generalem, in suum locum substituet unum ex duobus electis in deputatos a Conventu provinciali; primus autem substitutus succedet in deputatum.

§ 2. - Si Visitator vita decesserit vel cessaverit ab officio, Consultor provincialis qui interinale regimen provinciae

53

tenet, ad Conventum generalem perget Visitatoris loco.

CAPUT X

De Conventu generali ad electionem Superioris Generalis et Assistentium generalium

74. - § 1. - Antequam deveniatur ad electionem Superioris Generalis, praesentibus omnibus qui ius habent interveniendi Conventui, post recitationem «Veni, Creator» et exhortationem Vicarii Generalis, eliguntur ad plura suffragia secreta:

1° Secretarius Conventus, qui et primus scrutator erit;

2° Duo alii scrutatores;

3° Assistens electionis, cui munus vigilandi erit ut omnia secundum ordinem procedant.

§ 2. - Dein, ea pars Constitutionum legetur, quae electiones respicit.

75. - Ut electores omnes oportunas sibi invicem dent informationes de eligendorum qualitatibus, capacitate, meri-

54

tis, et ut orationi instanter vacent pro felici electionis successu, in biduo ante electionem nemo, nisi urgente necessitate, domo exibat.

76. - Cum vero dies electionis advenerit, omnes congregati Sacrum Deo offerent pro felici electione, et, hora statuta, includentur conclavi sub praesidentia Vicarii Generalis, vel, eius defectu, primi Assistentis generalis.

77. - Sessio incipiet invocatione Sancti Spiritus et Beatae Virginis Mariae. Inclusis electoribus, Vicarius brevem ad eos exhortationem habebit per se vel per alium a se cum approbatione maioris partis Assistentium deputatum. Dein, oratione per quadrantem in silentio et coram divina maiestate peracta, singuli eligent quem secundum Deum eligendum censuerint.

78. - In schedulis praeparatis, singuli inscribent nomen illius quem elegerint in Superiorem Generalem, et, ordine servato, unusquisque accedet ad mensam in modum altaris praeparatam; tunc,

55

genuflexus, alta voce dicet: « Testem invoco Iesum Christum, qui me iudicaturus est, quod ego N. N. illum eligo et nomino in Superiorem Generalem quem secundum Deum iudico eligi debere »; quo dicto, surget, et schedulam plicatam in pyxidem mittet.

79. - Latis omnibus schedulis ac numeratis, si earum numerus excedat eligentium numerum, nihil actum est et novae schedulae sunt scribendae et colligendae. Secus, legentur elata voce nomina in schedulis inventa et ille qui duas ex tribus partibus suffragiorum, demptis schedis nullis, sortitus fuerit, ipse erit Superior Generalis.

80. - Si in primo scrutinio nemo necessaria suffragia obtinuerit, experiendum erit secundum scrutinium eodem modo quo factum est primum; si neque in secundo, pari modo tertium tentabitur scrutinium, immo et quartum atque quintum. Post quintum inefficax scrutinium, fiat sextum, in quo voce passiva gaudeant solummodo duo candidati qui in quinto scrutinio maiorem, etsi parem,

56

suffragiorum numerum tulerint. Quodsi in sexto scrutinio suffragia paria fuerint, electus vocatione seu professione aut retate senior, habeatur.

81. - § 1. - Electione legitime peracta, Vicarius Generalis, aut is qui preside, decreto electionis arato, viva voce proclamati electum; sed, si ipse Vicarius in Superiorem Generalem electus fuerit, Secretarius Conventus decretum conficiet et ipse electum proclamabit.

§ 2. - Continuo autem, omnes congregati, singillatim, genibus in terram flexis, electum salutabunt eiusque manum humiliter osculabuntur.

§ 3. - Qui vero electus fuerit, commissum sibi onus dictamque salutationem non renuet, nisi gravi de causa Conventui probata.

§ 4. - Absoluta electione, comburentur schedulae, hymnus « Te Deum » alternatim recitabitur, et fores aperientur.

§ 5. - Si neoelectus non sit praesens, advocetur et usque ad eius adventum Conventus suspendatur.

57

82. - Officium assistentis electionis cessat post electionem Superioris Generalis.

83. - § 1. - Sequetur, in alia sessione et distinctis scrutiniis, electio Assistentium et Admonitoris Superioris Generalis iuxta formam consuetam; in huiusmodi electione, Superior Generalis abstinebit a ferendo suffragio.

§ 2. - Ii electi habebuntur qui plura absolute suffragia retulerint, quique ut electi a praeside Conventus proclamati fuerint.

§ 3. - Si in primo et secundo scrutinio nemo fuerit electus, tunc in tertio electus erit qui maiora relative obtinuerit suffragia et in casu paritatis senior vocatione aut retate..

§ 4. - Si quis ex Assistentibus electus absit, nec facile acciri possit ante absolutum Conventum, Superior Generalis ei electionem notam faciet, et cetera perficiet quae in Conventu fieri debeant.

84. - Quavis de causa habeatur Conventus generalis, si contingat eo vel iam indicto, vel coacto, vel intra se-

58

mestre post ipsum dissolutum, Superiorem Generalem e vita cessisse, delegati missi a singulis provinciis ad Conventum generalem, absque nova deputatione, debent a Vicario Generali convocari ad novum Superiorem Generalem eligendum.

85. - Ceterae Conventus sessiones iuxta modum praescriptum pro Conventu generali ad tractanda negotia habebuntur, ut infra.

CAPUT XI

De conventu generali ad tractanda negotia et ad postulata proponenda

86. - § 1. - Conventus generalis gaudet pleno iure decernendi et statuendi quae ad Congregationis prosperum felixque regimen conducere videantur, condendo leges seu Decreta, quae constituunt disciplinam Congregationis.

§ 2. - Decreta Conventus generalis abrogari possunt ab alio generali Conventu; quae non abrogantur censentur confirmata et suum vigorem conservant.

59

87. - § 1. - In Conventu generali agetur de rebus seu negotiis gravibus quae respiciunt observantiam, ministerium apostolicum, formationem nostrae iuventutis, regimen Instituti.

§ 2. - Cavere debent omnino congregati ne quidquam contra ius commune et Constitutiones proponant.

§ 3. - Verum si gravia incommoda ex alicuius praescripti Constitutionum observantia, in quibusdam locis iam sint secuta, vel secutura manifeste praevideantur, poterit proponi ut ipsis non parvi momenti incommodis efficacia remedia a Conventu applicentur, vel ad Sedem apostolicam recursus fiat.

§ 4. - Licebit tamen de omnibus rebus etiam substantialibus declarationem seu explicationem a Conventu petere, ut, si ei visum fuerit expedire, aliquam dilucidationem circa rem propositam praebeat.

88. - § 1. - Res proponantur scripto et modo disiunctivo. Ea vim obtinebunt quae, demptis suffragiis nullis, placuerint parti absolute maiori eorum qui suffragium tulerunt: quod si suffragia sint

60

paria, secundum peragatur scrutinium et, in casu paritatis, Superior Generalis rem dirimere valebit.

§ 2. - Si vero res proponi nequeat in forma disiunctiva, tunc id vim iuris habebit quod, demptis suffragiis nullis, placuerit parti absolute maiori suffragantium, aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio. Si suffragia paria fuerint, post tertium scrutinium, Superior Generalis suo voto paritatem dirimat.

§ 3. - Pro mutationibus quae a S. Sede expostulandae sunt, requiruntur duae de tribus partibus suffragiorum.

89. - Postulata proponenda Conventui generali illa erunt quae in Domino iudicaverit ipse Superior Generalis, audito suo Consilio, et delegatorum postulata.

90. - § 1. - Pro examine postulatorum quae a delegatis exhibita fuerint, Commissio instituatur cui Superior Generalis praesideat, cuiusque membra sint sex ex congregatis a Conventu electi ad plura suffragia secreta et indiscriminatim, quorum tamen saltem unus ex Assistentibus generalibus sit.

61

§ 2. - Huiusmodi Commissionis munus est:

1° Postulata quae a delegatis delata sunt examinare atque Conventui generali referre cum proprio voto de opportunitate eadem discutiendi vel minus;

2° Examinare an et in quibus Institutum recesserit a suo primaevo spiritu vel a suis Constitutionibus, Regulis, piis exercitiis, laudabilibus usibus et consuetudinibus vel sit in periculo proximo et evidenti ab illis recedendi.

91. - § 1. - Idcirco a die constitutionis huiusmodi Commissionis ad diem designatam a Superiore Generali, singula membra Conventus ad illam ferent, si adhuc non fuerint missa, tam postulata quae habent nomine Conventus provincialis proponenda, quam ea quae circa praefata ipsi observarunt. Quae omnia debent esse scriptis mandata, et subscripta.

§ 2. - Actus Conventus fideliter a Secretario Conventus redacti et capitularibus perlecti, ab ipsis subscribendi sunt et a Superiore Generali tempore et modo opportuno promulgandi.

CAPUT XII

De Conventu provinciali

92. - § 1. - Conventus provincialis celebrabitur quandocumque requiratur electio deputatorum ad Conventum generalem, quavis de causa convocatum.

§ 2. - In isto Conventu agetur de postulatis quae nomine provinciae proponenda sunt Conventui generali, aut Superiori Generali.

93. - § 1. - Ad Visitatorem pertinet Conventum provincialem convocare, diem statu ere domumque designare in qua celebrari debeat.

§ 2. - Visitationi ius et officium est praesidendi atque dirigendi Conventum ac curare ut omnia procedant ordine, modo et forma debitis, iuxta Congregationis statuta et decreta.

94. - § 1. - Conventui provinciali interesse debent: Visitator; Oeconomus provincialis; singuli domorum provinciae

Superiores; et e singulis domibus unus sacerdos electus in deputatum a Conventu domestico.

§ 2. - Si Superior legitime impediatur quominus Conventum provincialem adeat, Assistens domus illum substituat, dummodo sit idoneus et sex annos post emissa vota in Congregatione exegerit, ad normam art. 60, § 2.

§ 3. - Viceprovinciae autonomae ius habent mittendi ad Conventum generalem unum deputatum, in Conventu viceprovinciali eligendum. Viceprovinciae vero non autonomae iure tantum gaudent eligendi duos deputatos, mittendos una cum Vicevisitatore ad Conventum provinciae a qua dependent.

95. - § 1. - Ad plura suffragia eligendus est e congregatorum numero Conventus secretarius, qui accurate describat acta, quae, Conventui perlecta, subscribentur ab omnibus congregatis et ab ipso secretario.

§ 2. - Nominetur quoque Conventus assistens, qui curam habeat vigilandi ut disciplina servetur; eligetur autem sicut secretarius ad plura suffragia.

96. - § 1. - His peractis, in altera sessione agendum erit de his quae provincia proponere voluerit aut Conventui generali, aut Superiori Generali; ad hoc proponentur Conventui postulata a congregatis discutienda atque probanda.

§ 2. - Secretarii erit omnia acta scriptis colligere; quae Conventus probaverit, mittentur ad Superiorem Generalem, tempore ab ipso praefinito.

97. - Post haec, die et hora statutis a Visitatore pro negotio electionis deputatorum, omnes convocati convenient ad locum destinatum, et, praemissa Sancti Spiritus invocatione atque per

horae quadrantem oratione mentali, procedetur ad electionem duorum deputatorum ac duorum substitutorum ad plura medietate suffragia, servato modo in art. 83, §§ 1, 2 et 3 statuto pro Assistentium generalium electione.

98. - Eligi potest quilibet e sacerdotibus provinciae, qui:

1° Sexennium post emissa vota temporaria in Congregatione exegerit, ac curriculum theologicum completum per-

65

fecerit, et haec quidem ad validitatem electionis;

2° Notitiam non mediocrem et experientiam rerum et functionum Congregationis nostrae acquisiverit;

3° Ardens habeat desiderium et zelum promovendi spiritum nostrum;

4° Constitutiones et Regulas fideliter observet;

5° Prudentia polleat ad deliberandum et agendum.

99. - Singulis schedulis publice numeratis ac lectis, Visitator proclamabit electos in deputatos et in substitutos; schedulae a secretario comburentur.

100. - § 1. - Quibus peractis, Visitator finem Conventus declarabit, et « Te Deum » recitabitur.

§ 2. - Acta omnia, simul ac postulata probata et non probata, a secretario Conventus conscripta, subscribentur ab omnibus congregatis iuxta ordinem sedentibus, incipiendo a Visitatore, et eius sigillo munientur.

§ 3. - Actorum huiusmodi exemplar exaratum a Conventus secretario et

66

tum a Visitatore, tum a secretario subscriptum consignabitur primo deputato; idemque fiet de postulatis approbatis mittendis ad Superiorem Generalem tempore ab ipso praefinito.

CAPUT XIII

De Conventu domestico

101. - Conventus domesticus non aliis unquam de causis seu a Visitatore, seu a Superiore convocari potest et solita quidem forma celebrari, nisi pro electione sacerdotis mittendi ad Conventum provincialem.

102. - § 1. - Superiori legitimo domus, vel Assistenti qui totum superioritatis officium exercent, ius est convocandi Conventum et ei praesidendi, postquam Visitator obligationem illum celebrandi induxerit.

§ 2. - Convocandi autem sunt omnes sacerdotes domus, qui vota saltem temporaria emiserint, et curriculum theologicum completum expleverint.

67

§ 3. - Convocari possunt, sub iisdem conditionibus, missionarii fortuito praesentes, qui Conventui propriae domus interesse nequeant; hi tamen non habent vocem passivam.

103. - Pridie quam fiat electio ad Conventum provincialem, Superior, hora competenti, praefatos sacerdotes convocabit, ac exponet qualitates aequisitas in eligendo ad normam art. 98.

104. - § 1. - Sequenti die, hora et loco a Superiore designatis, omnibus convocatis praesentibus, per horae quadrantem oratione mentali peracta, Conventus secretarius eligitur unico scrutinio.

§ 2. - Ille habeatur electus in secretarium, qui maiorem suffragiorum numerum tulerit. In casu paritatis, senior vocatione aut retate electus habeatur.

105. - § 1. - Electo secretario, eligentur eodem prorsus modo deputatus eiusque substitutus ad Conventum provincialem, ipso secretario extrahente a pyxide, numerante et alta voce legente suffragia, eo modo ut Superior et alius scrutator

68

vocatione seu professione senior inspiciant et omnes audiant.

§ 2. - Electus erit in deputatum ille qui plura medietate suffragia valida sortitus fuerit, ad normam art. 83.

106. - § 1. - Peracta electione, fiet deputationis instrumentum iuxta formulam praescriptam in commentario ipsius Conventus, necnon subscriptum et Superioris sigillo munita; si in deputatum electus fuerit ipse secretarius, transumptum subscribetur ab antiquiore ratione vocationis; schedulae a secretario comburentur.

§ 2. - Postquam omnes, ipseque deputatus, in commentario Conventus subscripserint, gratiis Deo relatis, Conventus domesticus persolvitur.

CAPUT XIV

De Visitoribus deque Vicevisitoribus

107. - Visitor est Superior maior, potestate ordinaria propria praeditus, qui alicui provinciae praeficitur ad eam

69

regendam iuxta Constitutiones ac Regulas sub dependentia Superioris Generalis.

108. - Nominatur a Superiore Generali de consensu sui Consilii et constituitur in officio ad sexennium, et non ultra duo sexennia.

109. - § 1. - Ad munus Visitoris assumi debet ad validitatem sacerdos ex Nostris, qui triginta annos aetatis habeat, quique ex legitimo matrimonio natus sit, et decem saltem post primam professionem in Congregatione exegerit annos.

§ 2. - Nominetur praeterea eximius sacerdos, operibus Congregationis non mediocriter tantum instructus, erga confratres officiosus, atque vere devotus.

110. - § 1. - Visitatori ius et officium est:

1° Visitare suae provinciae domos singulis annis, vel saltem alternis, et visitationis relationem mittere ad Superiorem Generalem;

2° De consensu sui Consilii alumnos admittere ad Seminarium internum, et huius directionem maxime curare;

70

3° Seminaristas de consensu sui Consilii admittere ad vota temporaria post duos annos probationis; et professos, audito suo Consilio, admittere ad votorum renovationem vel perpetuorum emissionem tempore in Constitutionibus statuto;

4° Scholasticos provinciae sedula cura adiuvere in virtutibus excolendis et in scientia debita acquirenda, magistros idoneos instituendo;

5° De consulto sui Consilii examinare et approbare rationem studiorum in omnibus disciplinis, tum philosophicis, tum theologicis; itemque pro quinquennali examine neosacerdotum, et pro examine ad obtinendam facultatem confessiones audiendi;

6° Nostros praesentare ad Ordines, quos idoneos repererit, ad titulum mensae communis, ac dimissorias litteras dare pro eorum ordinatione, et quidem de consensu sui Consilii, si de ordinibus maioribus agatur;

7° De consensu sui Consilii praesentare Superiori Generali, petenti, sacerdotes, qui ab eo nominentur Superiores domorum, Director Seminarii Interni, Director

71

scholasticorum, Consultores, Admonitor ac Oeconomus provincialis;

8° De consulto sui Consilii nominare assistentem, subassistantem, consultores, admonitorem, oeconomum domus et professores; pro suo autem arbitrio nominare confessores Nostrorum ordinarios et praedicatores;

9° De consensu sui Consilii contractus necessarios et convenientes inire ad normam iuris et iuxta pecuniae summam a Superiore Generali statu tam;

10° Super Constitutionum et Regularum observatione invigilare, eamque promovere, abusus corrigendo, utendo quoad inemendabiles aut contumaces, si casus ferat, canonicis poenis;

11° Domos de sodalibus necessariis convenienter providere, illosque mutare, alio mittere, intra tamen fines suae provinciae, auditis suis Consultoribus, excepto casu urgentiore, de quo tamen Consultores monere debet;

12° Omnibus viribus fovere bonum et incrementum Congregationis, necnon eiusdem ministeria et opera, praesertim missionum;

72

13° Accurate complere ea quae ei mandaverit Superior Generalis, eique rationem fideliter reddere;

14° Votum habere in Conventu generali;

15° Praesidentiam ac directionem exercere in Conventu provinciali, quem ipse convocare debet, quoties legitime indicitur Conventus generalis;

16° Praerogativa gaudere dirimendi paritatem suffragiorum non secretorum.

§ 2. - Approbatio autem Superioris Generalis cum suo Consilio requiritur pro tribus numeris praecedentibus, scilicet: 3° quoad admissionem ad prima vota et perpetua; 6° quoad admissionem ad S. Presbyteratus ordinem; 9° si contractus sit de summa Superiori Generali vel S. Sedi reservata.

111. - Visitator approbat Nostros, et ipsis confert iurisdictionem ad Nostrorum confessiones, necnon, salvo iure Ordinarii, ad sacram verbi Dei praedicationem; quas facultates aliis delegare potest.

73

112. - § 1. - Locus residentiae Visitoris mutari nequit nisi de Superioris Generalis consensu.

§ 2. - Habeat Visitator tabularium seu archivum, in quo diligenter asservet instrumenta, scripturas omniaque documenta, quae provinciam spectant, ac necessitatis et utilitatis causa servari debent.

113. - § 1. - Vicevisitatores a Superiore Generali, cum consensu sui Consilii, in officio constituuntur ad sexennium, non tamen ultra duo sexennia.

§ 2. - Potestate vicariali viceprovinciam regunt nomine Superioris Generalis vel Visitoris, prout de viceprovincia autonoma vel filiali agatur.

§ 3. - Iisdem iuribus, facultatibus et obligationibus fruuntur ac Visitatores, salvis iis quae Superior Generalis vel Visitor sibi, audito proprio Consilio, servaverint et quae a Constitutionibus statuuntur.

74

CAPUT XV

De Consilio Visitoris et de examinadoribus

114. - § 1. - Consilium Visitoris constituitur quattuor Consultoribus, quorum unus erit Admonitor eiusdem.

§ 2. - Œconomus quoque provincialis constituatur, qui in Consilium vocari poterit, sed sine suffragio, quoties agatur de provinciae bonis temporalibus.

§ 3. - Huiusmodi Consultores item ac Admonitor et Œconomus provincialis nominantur a Superiore Generali de consensu sui Consilii, audito Visitatore.

115. - § 1. - Consultores provinciales et viceprovinciales constituuntur ad sexennium.

§ 2. - Adveniente autem morte Visitoris aut eius cessatione ab officio, interinale provinciae regimen cedit primo Consultori provinciali, ratione nominationis vel vocationis, donec a Superiore Generali aliter pro visum fuerit.

75

116. - Consultorum provincialium officium est:

- 1° Visitatorem in provinciae suae regimine adiuvare;
- 2° Pergere ad Consilium coadunandum saltem semel in mense, et quoties Visitatori visum fuerit ad negotia provinciae tractanda;
- 3° Sententiam suam seu suffragium consultivum, vel deliberativum iuxta casus, sincere et fideliter praebere, secundum doctrinam et nostrae Congregationis praxim, et secretum custodire circa ea quae tractata fuerint.

117. - § 1. - Officium Oeconomii provincialis est ad sexennium.

§ 2.- Oeconomus provincialis, congrua congruis referendo, iisdem qualitatibus ac Oeconomus generalis praeditus esse debet.

118. - § 1. - In singulis provinciis aderunt quoque Examinatores, a Visitatore nominandi ad tempus vel ad nutum.

§ 2. - Ad officium istud assumendi sunt missionarii idonei, graves, prudentes, necnon disciplinae regularis zelo praestantes.

76

119. - Examinatorum opera Visitator uti potest:

- 1° In examinandis aspirantibus, antequam ad Seminarium internum admittantur, ut eorum finis, aptitudo et vocatio dignoscatur;
- 2° Ad perpendendam vocationem, ingenium, ceterasque dotes a Constitutionibus requisitas, eorum qui admittendi sunt ad vota, adhibitis quoque secretis informationibus; et ad sententiam de eorum idoneitate promendam;
- 3° Pro approbatione ad audiendas confessiones et ad divini verbi praedicationem, quoties Visitator id opportunum duxerit;
- 4° Ad examini subiiciendos neosacerdotes nostros, iuxta praescriptum can. 590 Iuris canonici.

CAPUT XVI

De Superioribus localibus

120. - Superior localis nominatur a Superiore Generali et ab eo destituitur, de consensu sui Consilii et audito Visitatore cum suo Consilio.

77

121. - § 1. - Superior localis constituitur ad triennium, quo elapso, poterit ad aliud triennium, non tamen ad tertium reassumi in eadem domo, exceptis Superioribus Seminariorum Dioecesanorum, qui etiam per plura triennia in officio remanere poterunt, si ita inter se convenerint et Ordinarius loci et Superior Generalis.

§ 2. - Removeri ab officio poterit quotiescumque Superiori Generali de consensu sui Consilii id visum fuerit in Domino ex iusta et proportionata causa.

122. - Superioris munus demandetur sacerdotibus valentibus dirigere viros spirituales; suae perfectionis studiosis necnon totius domus, quae eis gubernanda detur; in orationibus aliisque actionibus suis Deo bene unitis; boni communis sollicitis; severitatem cum benignitate coniungentibus; in rebus tandem Congregationis nostrae sat versatis.

123. - Superioris ius et officium est:

1° Curare ut omnes et singuli suae domus in Regularum ac votorum observantiam incumbant; ut pietatis exercitia peragant in Congregatione usitata,

78

ea praesertim quae in communi fieri debent; ipsemet omnibus verbo et exemplo praecellere debet;

2° Suorum curam habere, tam in spiritualibus quam in temporalibus, et quidem magna cum humilitate ac caritate;

3° Subditos monere atque corrigere;

4° Visitatorem certiores facere, tertio quoque mense, de statu domus sibi concredita;

5° Conventum domesticum convocare atque dirigere quoties a Visitatore statuatur; et interesse Conventui provinciali.

124. - § 1. - Superior potestatem habet ordinariam in foro interno, ratione exemptionis, pro suis subditis aliisque diu noctuque in domo sua degentibus; quam potestatem aliis delegare potest ad normam can. 875, § 1 (pro Sacramentis infirmorum et funere Nostrorum vide art. 227).

§ 2. - Potest etiam, ad modum parochi, suos subditos a lege communi de observantia festorum itemque de observantia abstinentiae et ieiunii dispensare.

79

125. - § 1. - In dirigenda domo, saltem formata, Superior adiuvatur, ab assistente, subassistente, consultoribus, oeconomis, necnon admonitore, qui omnes nominantur, audito Consilio, ad nutum Visitatoris.

§ 2. - Assistens, absente Superiore, totum superioritatis officium exercet, iuxta tamen normas in regulis huius officii traditas.

§ 3. - Munus oeconomis, quamvis melius a munere Superioris localis distinguatur, componi tamen cum eo potest, si necessitas id exigat, quae necessitas in magnis domibus stricte iudicari debet.

§ 4. - Alia munera et officia minora a Superiore committuntur aliis sacerdotibus et fratribus coadiutoribus domus

126. - § 1. - Superior ordinarie saltem bis in mense cogere debet consilium domesticum, in quo exponet ea qua respiciunt bonum spirituale et temporale, domus sibi commissae.

§ 2. - Consultores suam sententiam proferant prout in Domino iudicaverint et Superior stet iis quae dicuntur art. 10 §§ 2 et 3.

80

127. - § 1. - Nullam novitatem in domo sua Superior introducet, aut introduci permittet, sine consensu Visitoris, nec a legitimis usibus recedet sine Visitoris approbatione.

§ 2. - Nullam novam constructionem admittet, nec obligationem contrahet, nisi de licentia Visitoris.

128. - Habeat Superior archivum et sigillum propriae domus.

81

TITULUS IV

DE CONFESSARIIS

129. - § 1. - Qui facultatem audiendi confessiones obtinuerit a Superiore Generali, potest absolvere omnes Nostros ubique terrarum.

§ 2. - Qui vero hanc facultatem acceperit a Visitatore, absolvere potest confratres provinciae item ubique terrarum.

§ 3. - Qui a Superiore locali receperit facultatem, absolvere poterit Nostros aliosque qui domi diu noctuque habitualiter degunt.

130. - § 1. - Iurisdictionem delegatam ad recipiendas confessiones quorumlibet sive saecularium sive religiosorum confert sacerdotibus, tum saecularibus, tum religiosis, etiam exemptis, Ordinarius loci in quo confessiones excipiuntur.

§ 2. - Sacerdotes autem nostri eadem ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui Superioris, ad normam Constitutionum.

82

131. - In singulis domibus, plures deputentur pro sodalium numero confessarii legitime approbati, cum potestate absolvendi etiam a casibus in Congregatione reservatis.

132. - Firmis praescriptionibus, quae confessionem statis temporibus praecipunt vel suadent apud determinatos confessarios peragendam, si quis, ad suae conscientiae tranquillitatem, confessarius adeat ab Ordinario loci approbatum, confessio valida et licita est.

133. - § 1. - Superiores possunt, servatis de iure servandis, confessiones audire subditorum, qui ab illis sponte sua ac motu proprio id petant, at sine gravi causa id per modum habitus ne agant.

§ 2. - Caveant Superiores ne quem subditum aut ipsi per se aut per alium vi, metu, importunis suasionibus aliave ratione inducant ut peccata apud se confiteatur.

§ 3. - Non prohibetur tamen quominus libere ac ultro aperire animum suum Superioribus subditi valeant, immo expedit ut ipsi filiali cum fiducia Superiores

83

adeant, eis dubia quoque et anxietates suae conscientiae exponentes.

§ 4. - Superiores tamen districte vetantur personas sibi subditas quoquo modo inducere ad conscientiae manifestationem sibi peragendam.

84

TITULUS V

DE BONIS TEMPORALIBUS

134. - Non modo Congregatio, sed etiam provincia et domus sunt capaces acquirendi et possidendi bona temporalia cum redditibus stabilibus seu fundatis.

135. - Bona, tum Congregationis, tum provinciae et domus, administrari debent a respectivis oeconomis sub directione Superiorum et vigilantia Consilii, intra limites a iure et a Constitutionibus praescriptos.

136. - § 1. - Si agatur de alienandis rebus (ratione materiae, artis, historiae, antiquitatis) pretiosis, aliisve bonis, quorum valor superet summam triginta millium francorum seu libellarum, vel de contrahendis debitis et obligationibus ultra indicata summam, requiritur beneplacitum apostolicum ad validitatem.

§ 2. - Si autem valor non excedit summam triginta millium francorum seu libellarum, sed summam Visitoribus

85

permissam superat, requiritur et sufficit ad validitatem licentia Superioris Generalis, scriptis data, cum sui Consilii consensu per secreta suffragia manifestato.

§ 3. - Visitatores et Superiores locales tantum possunt circa alienationes faciendas, quantum ipsis concesserit Superior Generalis cum consensu sui Consilii.

137. - § 1. - In precibus pro obtinenda licentia ad contrahenda debita vel obligationes, exprimi debent alia debita vel obligationes, quibus Congregatio vel provincia vel domus ad eum diem iam gravatur; secus obtenta venia invalida est.

§ 2. - In alienationibus bonorum, tum mobilium, tum immobilium, requiruntur quoque ad liceitatem aestimatio rei a probis peritis scripto facta, et iusta causa.

138. - § 1. - Cum propter varias provinciarum conditiones impossibile sit aliquam regulam generalem statuere circa summam quam Superiores locales, sine speciali licentia, licite excedere non poterunt, res pro unaquaque Provincia definienda erit a Visitatore cum Consilio

86

provinciali, et approbationi Superioris Generalis proponenda, ut vim et auctoritatem accipiat.

§ 2. - Superior Generalis non potest expensas facere ultra summam a Conventu generali, vel, si rerum adiuncta mutata fuerint et necessitas urgeat, a Consilio generali definitam.

139. - Licentiae, hac in re, non scriptis datae, censentur nullae.

140. - § 1. - Tam Superiores, quam Œconomi non poterunt actus administrationis nomine Congregationis ponere, nisi intra fines sui muneris, et ad normam iuris et Constitutionum.

§ 2.- Quare Congregatio, provincia et domus respondere debent tantum de actibus administrationis positis iuxta praefatas normas; de ceteris respondebunt illi, qui illicitos aut invalidos actus posuerint.

141. - § 1. - Œconomi rationem reddere debent Superioribus de sua administratione, exhibitis registis accepti et expensi, quae examinanda erunt a

87

Superiore Generali cum suo Consilio, si agatur de oeconomo generali, bis in anno; a Visitatore cum suo Consilio, si agatur de oeconomo provinciali, quater in anno; a Superiore locali, si agatur de oeconomo domus, singulis mensibus; regesta autem subscribentur, si exacta reperiantur.

§ 2.- Computum generale totius anni referri debet Visitatori pro tota provincia ab oeconomo provinciali post finem anni; et pro unaquaque domo ab oeconomo locali, in fine anni, domus Superiori, qui item Visitatori referet; Visitator autem post finem anni Superiori Generali totius provinciae et singularum domorum computum huiusmodi referet.

142. - Pecunia, cui onera Missarum aut alia onera adnexa sunt, quominus expendatur, prohibetur, antequam prius oneribus satisfactum sit.

143. - Largitiones ex bonis domus, provinciae vel Congregationis non permittuntur, nisi ratione elemosynae vel alia iusta causa, de venia Superioris et ad normam iuris particularis nostri.

88

TITULUS VI

DE ADMISSIONE IN CONGREGATIONEM ET DE PROBATIONE SODALIUM

144. - Ius admittendi adspirantes in Congregationem spectat, servatis servandis:

- 1° Ad Superiorem Generalem pro universa Congregatione;
- 2° Ad Visitatores vero pro sua quisque provincia.

145. - Invalide ad Seminarium internum admittuntur ex iure communi (can. 542), nisi adsit previa licentia S. Sedis:

- 1° Qui sectae acatholicae adhaeserint, id est qui a fide catholica defecerint et nomen dederint sectae acatholicae;
- 2° Qui aetatem ad novitiatum requisitam non habeant, id est qui annos quindecim nondum expleverint;
- 3° Qui Congregationem ingrediantur vi, metu gravi aut dolo inducti, vel

89

quos Superior eodem modo inductus receperit;

4° Coniux durante matrimonio;

5° Qui obstringantur, vel obstricti fuerint vinculo valida professionis religiosae sive perpetuae, sive temporanae;

6° Illi quibus immineat poena ob grave delictum commissum, de quo accusati sunt vel accusari possint;

7° Episcopus sive residentialis, sive titularis, licet a Romano Pontifice sit tantum designatus;

8° Clerici qui ex instituto S. Sedis iureiurando teneantur operam suam navare in bonum dioecesis vel missionum pro eo tempore quo iurisiurandi obligatio perduret.

146. - Illicite, quamvis valide, ad Seminarium internum admittuntur ex iure communi, sine praevia licentia S. Sedis:

1° Clerici in sacris constituti, inconsulto loci Ordinario, aut eodem contradicente, ex eo quod eorum discessus in grave animarum detrimentum cedat, quod aliter vitari minime possit;

90

2° Ære alieno gravati, qui solvendo pares non sint;

3° Reddendae rationi obnoxii, aut aliis saecularibus negotiis implicati, ex quibus lites et molestias religio timere possit;

4° Filii qui parentibus, id est patri vel matri, avo vel aviae, in gravi necessitate constitutis opitulari debeant, et parentes quorum opera sit ad liberos alendos vel educandos necessaria;

5° Ad sacerdotium destinati, a quo tamen removentur irregularitate aliove canonico impedimento (filius cuius pater vel mater adhuc vivens sit haereticus);

6° Orientales in provinciis ritus latini, sine venia scripto data S. Congregationis Orientalis.

147. - Illicite, quamvis valide, ad Seminarium internum admittuntur ex iure proprio, sine praevia licentia Superioris Generalis:

1° Qui in aliqua religione habitum receperint, licet non adhuc professi;

2° Dimissi a nostra Congregatione, aut qui e Seminario probationis sponte sint egressi;

3° Qui notabili corporis deformitate

91

laborant aut ob infirmitatem impares sunt ministeria Instituti nostri obire.

148. - § 1. - Adspirantes, antequam admittantur, exhibere debent documenta recepti Baptismatis. ac Confirmationis.

§ 2. - A postulantibus nostris exigatur cautio scripta redacta atque ab eis subsignata, in qua declaretur quod in casu egressus vel dimissionis eorum a Congregatione, etiam post emissis votis sive temporaria, sive perpetua, ipsi nihil repetere possunt a Congregatione ob quamlibet operam ab ipsis praestitam.

149. - § 1. - Pro adspirantibus ad statum fratrum coadiutorum, firmum sit praescriptum de praemittendo postulatu sex mensium, qui a Superioribus maioribus prorogari poterit, non autem ultra semestre.

§ 2. - Postulatus peragatur in domo Seminarii interni, vel etiam in alia domo Congregationis in qua disciplina secundum Constitutiones et Regulas accurate servetur, sub speciali cura probati missionarii a Superioribus maioribus designati.

92

150. - § 1. - Antequam adspirantes et postulantes Seminarium probationis incipiant, exercitiis spiritualibus per tres solidos dies vacent et iuxta prudens consilium confessarii totius anteactae vitae confessionem instituant.

§ 2. - Pro unoquoque adspirante vel postulante Seminarium probationis initium sumit, cum quis a direttore declaratur in scriptis admissus in Seminarium, et finem habet post integrum ab illo die biennium, ita ut dies ingressus non computetur et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri.

151. - Tempus et modus probationis unice reguntur propriis nostris Constitutionibus et consuetudinibus.

152.- § 1. - Erectio Seminarii interni pertinet ad Superiorem Generalem cum consensu sui Consilii.

§ 2. - Ad domum autem in qua erectum est, destinandi sunt nonnisi missionarii et fratres coadiutores qui studio servandae disciplinae maxime eluceant.

153. - § 1. - Director Seminarii pro-

93

bationis a Visitatore, de consensu sui Consilii, praesentatur, sed a Superiore Generali, de consensu sui Consilii, nominari debet.

§ 2. - Sit sacerdos spiritu vocationis plenus; in rebus spiritualibus insigniter versatus; prudentia, caritate et Regularum observantia conspicuus; accessu facilis, ita ut omnes seminaristae ad eum recurrant, declaraturi suas difficultates et animi anxietates.

de consensu sui sed a Superiore item sui Consilii,

154. - § 1. - Directoris est: instituere atque erudire seminaristas iis virtutibus, quae ad nostram vivendi rationem ducunt; illos probare ac diligenter inspicere utrum eas habeant corporis atque animi dotes quibus Instituti nostri functiones rite et laudabiliter administrare possint; seminaristas monere, arguere et corrigere; de animi dotibus, magis quam de numero candidatorum sollicitus sit; nam, modici in omnibus, Communitati oneri sunt.

§ 2. - Ipse subiacebit Superiori domus in iis quae spectant ad regimen Seminarii; nullam praxim insolitam inducet, nihilque innovabit sine Superioris aut

94

Visitoris licentia; tertio saltem quoque mense cum Superiore domus colloquium habebit de singulis seminaristis ac, quolibet semestri, Visitatorem certiore faciet de statu Seminarii deque universa ratione agendi cuiusque seminaristae, praesertim exeunte primo et secundo anno Seminarii peracti, cum scilicet tempus imminet emittendi bona proposita aut vota temporaria.

155. - § 1. - Pro seminaristarum numero unus vel plures habeantur confessarii ordinarii qui in domo commorentur.

§ 2. - Director, eiusque socius, ab eorum confessione se abstineant, nisi ipsi seminaristae in casu particulari, gravi et urgenti causa, id petant.

§ 3. - Alii quoque deputentur confessarii quos seminaristae libere adire possint.

§ 4. - Nec desit confessarius extraordinarius, ad quem, quater saltem in anno, omnes seminaristae accedant saltem benedictionem recepturi.

§ 5. - Seminaristis quoque ius sit fruendi facultate art. 132 contenta.

95

156. - § 1. - Seminaristae omnes, non exclusis fratribus coadiutoribus, clericorum privilegiis atque spiritualibus gratis Congregationi concessis fruuntur.

§ 2. - Si morte praeveniantur, ad eadem suffragia ius habent quae pro ceteris qui vota iam emisissent praescripta sunt; et in periculo mortis eis licebit vota nostra emittere, quae tam en cessabunt, si convaluerint.

157. - Biennio Seminarii probationis elapso, si iudicetur idoneus, seminarista ad vota triennalia admittatur, secus dimittatur; si autem dubium supersit de eius idoneitate, probationis tempus poterit a Superiore Generali aut a Visitatore, non tamen ultra sex menses, prorogari.

158. - Ante emissionem votorum, sive temporariorum, sive perpetuorum, seminaristae exercitiis spiritualibus vacare debent per tres solidos dies.

159. - § 1. - Visitoris erit, de consulto sui Consilii, seminaristas iusta de causa

96

dimittere, quin teneatur dimissis causam patefacere.

§ 2. - Dimittendi autem sunt:

1° Qui videantur quibusdam pravis affectionibus aut vitiis, quae graviter Deum offendant, sese corrigere non posse;

2° Illi in quibus durante probatione inveniuntur impedimenta seu defectus notabiles, quos debuerint manifestare in examine;

3° Qui inutiles seu inepti agnoscantur;

4° Qui obedire et proprium iudicium Superioribus submittere renuerint;

5° Insuper pro adspirantibus ad Sacerdotium, qui praescripto can. 1371 dimittendi sint.

97

TITULUS VII

DE VOTIS

CAPUT I

De natura votorum Congregationis

160. - Sodales Congregationis Missionis emittunt vota paupertatis, castitatis, obedientiae et stabilitatis in Congregatione, in ordine ad salutem pauperum rusticanorum sese applicandi.

161. - § 1. - Haec vota, etsi non publica, sunt tamen privilegiata, ad instar votorum simplicium, et perpetua, et nemo, infra Romanum Pontificem vel Superiorem Generalem, ab eisdem dispensare potest.

§ 2. - Nequeunt ideo valide dispensari aut commutari aut alias dissolvi vigore cuiuscumque iubilaei, Bullae Cruciatæ, privilegiorum, indulti, concessionis, ex-

98

pressam dictorum votorum mentionem non facientium.

§3.- Superior autem Generalis ex gravi causa dispensare potest sodales a votis temporariis ac perpetuis, sive in casu legitimi egressus, salvo can. 641 si sint in sacris, sive in actu dimissionis ex privilegio Bullae Alexandri VII, firmis tamen praescriptis can. 647, 655-668, 671 et 672 (cfr. quae dicuntur art. 281-285). Item potest Vicarius Generalis, si urget necessitas.

§ 4. - Eiusmodi vota ad normam can. 574 emittenda sunt, ita ut post duos probationis annos professio fiat ad triennium valitura, quo elapso, vota perpetua emittantur, nisi aetas ad perpetuam professionem requisita longius distet, vel locus sit ulteriori probationi, non ultra tamen aliud triennium protrahendae.

§ 5. - Vota temporaria eodem modo conscientiam professi obligant ac perpetua, salva eorum vi temporaria.

162. - Ad votorum validitatem requiritur ut:

1 ° Admissio ad ea emittenda fiat a

99

legitimo Superiore ad normam Constitutionum;

2° Qui ea emissurus est biennium probationis perfecerit;

3° Emissio fiat libere, sine vi aut metu gravi aut dolo;

4° Sit expressa;

5° Praeterea ad vota perpetua quod attinet, praecesserit professio triennis, eaque emissurus vigesimum primum aetatis annum expleverit.

163. - Tempus votorum temporariorum finitur eodem recurrente die, quo incepit, sed eorundem renovatio vel professio perpetua per integrum eundem diem emitti potest, nulla interposita mora, ad normam can. 577.

164. - Immediate post votorum sive temporariorum, sive perpetuorum emissionem curabit Visitator ut professus statim in libro ad hoc destinato testimonium emissionis scribat et subscribat.

100

CAPUT II

De paupertate

I. - Ratione voti:

165.- § 1. - Omnes et singuli nostrae Congregationis votis adstricti omnia ut communia habebunt, et illa singulis distribuentur a Superioribus, nimirum: victus, vestitus, libri, suppellectilia et cetera, prout cuique opus erit.

§ 2. - Nemo de huiusmodi bonis Congregationis disponere aut dispensare quidquam poterit, nisi de mandato vel licentia Superioris, ad normam can. 537.

§ 3. - Praeterea, nullus quidquam habebit inscio vel non concedente Superiore; aut quod non sit paratus statim relinquere ad praeceptum.

§ 4. - Nemo ulla re tam quam propria utetur; nec quidquam donabit, aut accipiet, vel dabit mutuo aut commodato, aut aliunde petet, sine licentia Superioris.

166. - Quicumque e Nostris adstrictus votis, vel temporariis, vel perpetuis,

101

conservat bonorum suorum proprietatem et alia bona acquirendi capacitatem, quorum tamen usus et redditus restringuntur normis quae sequuntur.

167. - Quoad bona immobilia:

§ 1. - Habemus dominium:

1° Bonorum et beneficiorum simplicium, quae, cum vovemus, possidemus, aut in futurum possidebimus;

2° Bonorum immobilium, quae nobis hereditario iure obveniunt;

3° Bonorum immobilium propria pecunia, vel titulo donationis nobis factae, aut legato, aut alia qua vis ratione legitima acquisite. De his disponere possumus sive per actum inter vivos, sive per testamentum, sine licentia Superiorum.

§ 2. - Possumus quoque libere acceptare et resignare beneficium simplex; expensas tamen ad hoc facere nequimus, sine licentia Superioris.

168. - Quoad bona mobilia:

§ 1. - Habemus dominium:

1° Redituum supradictorum bonorum immobilium et beneficiorum simplicium,

102

ita tamen ut ea expendere, aut in usus proprios convertere, aut in opera, etiam pia, expendere, sine licentia Superioris non possimus;

2° Bonorum mobilium propria pecunia vel donatione intuitu personae nobis facta (in dubio tamen iuxta can. 1536 bona praesumi debent data Congregationi), aut alio quovis modo legitimo acquiritorum; et de his testamento disponere possumus. Quod si levioris sint momenti et usui missionariorum accommodata, quilibet censetur ea Communitati cedere; si autem pretiosa sint et statum nostrum non deceant, nec ea sine licentia Superioris servare, nec iis etiam cum illius facultate uti, illaeso paupertatis voto, possumus.

§ 2. - Ex pecunia, quae iure sanguinis hereditario, aut ab intestato, ad nos pervenit, possumus quidem sine licentia acquirere bona immobilia aut census annuos, non autem bona mobilia.

§ 3. - Ex pecunia vero quae legato, aut donatione inter vivos intuitu personae facta, aut alio quovis modo legitimo, aut etiam ex bonorum immobilium vel beneficiorum simplicium redditibus nobis

103

advenit, nequimus, absque Superioris licentia, bona vel mobilia vel immobilia comparare.

§ 4. - Sed non peccat contra votum paupertatis qui, sine licentia, vel pecuniam suam expendit ad reparationes necessarias bonorum suorum immobilium aut beneficialium faciendas, vel remittit villico pensionem suorum immobilium, aut illius partem, si illa pensionis diminutio aut remissio sit ex iustitia aut aequitate debita; requiritur autem licentia, si donatio sit liberalis et mere gratuita.

§ 5. - Peccat contra votum paupertatis:

1° Qui, sine licentia Superioris, pecuniam sibi propriam secum gestat, aut apud alium servat;

2° Qui redditus suos servat sine animo eos expendendi cum facultate Superioris, vel in proprios usus necessarios, vel in opus pium;

3° Qui, sine licentia Superioris, parentibus non indigentibus donat verbo vel scripto tituli sui patrimonialis aut aliorum suorum immobilium redditus;

4° Qui pecuniam undecumque conquisitam expendit in usus canonibus,

104

Regulis Congregationis, aut Decretis Conventuum generalium adversos, etiam data a quovis Superiore licentia.

169. - Quoad bona Communitatis et quoad fructus functionum:

§ 1. - Peccat contra votum paupertatis qui, sine licentia Superioris:

1° Sibi retinet datum intuitu functionum, officiorum, ministeriorum sibi commissorum, aut laboris proprii ingenii (ut ex libris quorum quis sit auctor aut editor), aut pensionis obtentae ob vulnera et infirmitates in bello, aut stipendii Missarum; atque iniustitiae quoque reus est, si id in suum aut alienum usum impendat;

2° Bona Communitatis sibi accipit, donat, aut alio quovis modo in suum vel alienorum usum convertit;

3° Libros et alia, etiam propria pecunia comparata, vendit aut alteri donat.

§ 2. - Superiores vero contra paupertatem et iustitiam rei sunt, qui bona Communitatis in usus a statu nostro alienos absumunt et prodigunt.

170. - Concedere nequeunt Superiores

105

licentias indefinitas quoad tempus et modum, neque facultatem expendendi pecuniam in usus a sacris canonibus, Regulis, Decretis Conventuum generalium, nobis interdictos.

II. - Ratione virtutis:

171. - Sodales se abstineant a quovis deordinato affectu erga temporalia bona, parati ad sustinendam prompto animo illorum privationem, rati paupertatem esse fundamentum Congregationis. Quare:

1° Nemo superflua aut curiosa exquiret;

2° Necessaria autem, ipsorumque desiderium ita quisque moderabitur, ut victus, cubiculi et lecti ratio sit tamquam pauperi accommodata; atque in his, sicut in omnibus, effectus aliquos paupertatis experiri sit paratus;

3° Quin etiam vilissima quaeque eorum, quae domi sunt, sibi tribui libenter patiat.

172. - Nemo quidquam habebit quod non sit paratus relinquere ad Superioris

106

nutum; et ut nihil apud nos cernatur quod proprietatem redoleat:

1° Cubicula nostra non ita erunt clausa, quin extrinsecus aperiri possint;

2° Nec in iis una area, sive quidquam aliud clave particulari obseratum asservabitur, nisi cum expressa Superioris facultate.

173. - Et quoniam virtus paupertatis solo appetitu inordinato ad bona temporalia potest violari: unusquisque diligenter cavebit ne hoc malum etiam quoad beneficia, sub specie boni spiritualis ambienda, cor suum invadat; ideoque, ne ad unum quidem beneficium, aut dignitatem ecclesiasticam, sub quocumque praetextu, adspirabit.

CAPUT III

De castitate

1. - Ratione voti:

174. - Vi voti castitatis, omnes sive clerici. sive fratres coadiutores sese obligant ad celibatum, ita ut matrimonium

107

sit eis graviter illicitum; et insuper ad se abstinendum etiam virtute religionis a quocumque actu, sive interno, sive externo, castitati opposito.

II. - Ratione virtutis:

175. - Ut melius quisque castitatem observet:

1° Sensus tum interiores, tum exteriores, vigilantissime custodiet;

2° Mulieres nunquam solus cum sola, loco et tempore indebitis, alloquetur; illas alloquendo, vel ad eas scribendo, a verbis, etiamsi piis, teneram erga eas benevolentiam redolentibus, omnino abstinebit;

3° Mulierum confessiones audiendo, sicuti extra confessionem colloquendo, ad eas propius non accedet; nec de sua castitate praesumet.

176. - § 1. - Insuper, omnes sibi persuadebunt, missionariis nequaquam sufficere virtutis gradum attigisse non mediocrem; imo praeterea requiri ut totis viribus nitantur impedire, si fieri possit, ne ullus hominum de aliquo

108

Nostrorum vel levissimam vitii contrarii suspicionem possit concipere.

§ 2. - Quare, ad malum hoc praeveniendum, aut tollendum, omnibus, quae occurrere poterunt, mediis, non modo ordinariis, verum etiam, si res postulat, extraordinariis utemur, cuiusmodi est:

ab aliquibus operibus, alioquin licitis, et etiam bonis ac sanctis, interdum abstinere, cum scilicet, iudicio Superioris aut Directoris, illa videntur dare locum timendi huiusmodi suspicionem.

177. - § 1. - Prohibentur confessarii quo minus directionem spiritualem peragant in collocutoriis domorum nostrarum, sed huiusmodi fiat in loco ad mulierum confessionem destinato, quique patens et conspicuus sit.

§ 2. - Item locutoria ad excipiendas mulieres destinata, sint bene illuminata et ita disposita, ut per portas vel fenestras facile ab extra videatur quid intus agatur.

178. - § 1. - Districte prohibetur ne ulla quecumque mulier, sub quocumque, sive necessitudinis, cognationis, consul-

109

tationis, laboris, infirmitatis pietatisve praetextu, a Nostris, quicumque ii sint, recipiatur in domibus aut in villis nostris, nisi in locis ad recipiendas mulieres destinatis.

§2.- Superiores non permittent Nostris ulla feminas, quantumvis pias, cuiuscumque conditionis ac aetatis sint, invisere, nisi necessitas id postulet, aut saltem profectus non mediocris evincat; idque liceat tantum viris iamdudum probatis et christiana prudentia praeditis; quod quidem valet etiam quoad Filias Caritatis.

179. - Si quandoque adsit cogens necessitas utendi famulatu femineo, iudicium de hac necessitate et licentia reservatur Superiori maiori, graviter onerata conscientia Superiorum localium de veritate

expositorum circa necessitatem et media adhibenda ad omnia pericula inde secutura vitanda et servatis articulis qui praecedunt, ita ut mulieres inservientes admittantur tantum in locis in quibus ipsae operari debent.

110

CAPUT IV

De obedientia

I. - Ratione voti:

180. - Vi voti obedientiae sodales Congregationis obligationem contrahunt obediendi Sanctissimo Domino nostro Papae tamquam Supremo Superiori, Praeposito Generali Congregationis, Visitatori, Superiori domus, eorumque omnium substitutis qui eos quoad omnia suppleant, in omnibus quae, sive directe, sive indirecte se referunt ad votorum, Constitutionum et Regularum observationem.

181.- § 1. - Tunc autem obligatio vi voti urget sub gravi, cum legitimus Superior expresse praecipit in virtute sanctae obedientiae.

§ 2. - Raro, caute ac prudenter, et non nisi ex causa gravi, Superiores, praesertim locales, praeceptum eiusmodi imponant, et expedit ut imponatur scripto, vel saltem coram duobus testibus, et

111

Superior maior moneatur de praecepto dato.

II. - Ratione virtutis:

182. - Omnes reverentiam et obedientiam fideliter et sincere praestabunt Episcopis in quorum dioecesibus deputentur missionarii ad missiones tradendas, et quoad alias functiones Instituti nostri exercendas extra domus nostras, vel in locis Ordinariis locorum subiectis (ut in Seminariis externis, domibus hospitalibus), et quoad ea quae ad illas externas functiones spectent.

183. - Omnes etiam et singuli Superiori Generali obediunt prompte, hilariter et perseveranter, in omnibus ubi peccatum non appareat, et caeca quadam obedientia, proprium iudicium propriamque voluntatem submittentes, idque non solum quoad eius voluntatem sibi notificatam, sed etiam quoad eius intentionem; existimantes illud semper ad melius esse, quod ipse praecipit; seque illius dispositioni, quasi limam in manibus fabri, committentes.

112

184. - Et haec obedientia ceteris Superioribus, tam peculiaribus, quam Visitoribus, necnon officialibus subordinatis pariter exhibenda erit; imo, quisque etiam campanae sono, ut voci Christi obedire conabatur, ita ut ad primum eius signum studeat vel ipsam imperfectam litteram relinquere.

185. - Nullus ab uno Superiore repulsam passus, alium Superiorem adibit super ea re, quin repulsam et repulsae causam illi significet.

186. - § 1. - Nullus iter faciens et transiens per locum ubi sit domus Congregationis, ad aliud hospitium quam ad illam divertet: et quamdiu ibi fuerit, eius qui illic praeest obedientiae subiicietur; nihilque ibi, nisi de eius consilio et directione tractabit.

§ 2. - Idem observabitur ab illo, qui ad negotia gerenda illuc venerit.

187. - § 1. - Cum autem aegrotis obedientia sit multum necessaria, ideo medicis non tantum spiritualibus, sed etiam corporalibus, tum infirmario aliisque ad

113

sui curam destinatis, illam exhibebunt.

§ 2. - Omnes qui se male affectos sentient, id Superiori vel praefecto sanitatis, aut infirmario significabunt; et nemo ullam sumet medicinam, aut medico nostro utetur, aut alium consulat, nisi cum Superioris approbatione.

CAPUT V

De voto stabilitatis

188. - Sodales Congregationis quartum peculiare votum et proprium profitentur, seu: pauperum rusticanorum saluti toto vitae tempore in Congregatione vacandi, iuxta praecipuum ac peculiarem Instituti nostri finem, a quo et nomen « Missionis » accepit.

189. - Hoc voto duplex Deo offertur promissio, nempe:

1° Stabiliter, seu toto vitae tempore, in Congregatione permanendi;

2° Vacandi, Superioribus praecipientibus, saluti pauperum rusticanorum, id est incolas villarum, terrarum, pagorum,

114

oppidulorum, et praesertim ruricolos evangelizando.

190. - Licebit quoque praedicare in civitatibus, praesertim in suburbiis et in locis ubi operarii ac pauperes degunt, dummodo verbum Dei a Nostris tradatur methodo in Congregatione usitata, et praedicentur fidei veritates et ea quae requiruntur ad salutem, ad instar exercitiorum spiritualium.

191. - § 1. - Votum huiusmodi adimpletur praesertim opera missionum, quas missionarii numquam negligere debent, ne sub specie quidem alterius operis pii et alioquin utilioris. Ideo, unusquisque Nostrorum toto animi affectu ad opus missionum se convertet.

§ 2. - Peccant autem contra hoc votum sodales qui a Superiore deputati ad missiones, absque iusta causa ab ipso approbata, id renuunt.

192. - Cum autem, praeter missiones, adsint alia opera, quae Congregatio tamquam finem suum persequitur, sicut ministeria nostra erga ecclesiasticos, quae

115

ut complementum missionum a legifero Patre nostro considerantur, vel quae illi sunt conformia, sicuti ministeria erga adolescentes christianis praeceptis et doctrinis instituendos in Collegiis, etc., quartum praedictum votum a nobis adimplebitur perficientibus ea quae a Superioribus praescripta fuerint, paratisque ad missiones toties obeundas quoties obedientia nos vocaverit.

116

TITULUS VIII DE RATIONE STUDIORUM

193. - In iis quae ad studiorum rationem pertinent sodales nostri tenentur normis his in Constitutionibus determinatis et peculiaribus praescriptionibus a S. Sede datis.

194. - § 1. - Quoad fieri poterit, unaquaeque provincia proprium habeat scholasticatum, qui erigendus erit loco convenienti, electo a Visitatore cum suo Consilio, et a Superiore Generali approbato, ut scholastici nostri in studia philosophiae ac theologiae rite incumbant.

§ 2. - Quoties autem huiusmodi scholasticatus institutio impossibilis evaserit, Visitator, cum Superioris Generalis approbatione, mittat scholasticos nostros ad alius provinciae scholasticatum, vel ad publicum Athenaeum catholicum a S. Sede approbatum, vel ad scholas ad id institutas, ubi recte ordinata sit studiorum sedes, ad normam can. 1365.

117

§3.- In unaquaque provincia erigantur scholae apostolicae. Hae scholae valde utiles sunt ad fovendam puerorum vocationem, et ad eos religione et disciplinis secundariis instituendos.

195. - § 1. - In philosophiam rationalem cum affinis disciplinis, scholastici nostri per integrum saltem biennium incumbant.

§ 2. - Cursus vero theologicus saltem integro quadriennio contineatur, qui, praeter theologiam dogmaticam et moralem, complecti praesertim debet studium sacrae Scripturae, historiae ecclesiasticae, iuris canonici, liturgiae, sacrae eloquentiae et cantus ecclesiastici.

§ 3. - Habeantur etiam lectiones de theologia pastoralis, necnon de ascetica et mystica, de paedagogia, de scientia sociali, de actione catholica, de more se gerendi in functionibus nostri Instituti, praesertim quoad missiones tradendas, atque, pro iis qui ad missiones exteras praeparantur, de missionologia, additis practicis exercitationibus de ratione tradendi pueris aliisque catechismum, au-

118

diendi confessiones, visitandi infirmos, assistendi moribundis.

196.- § 1. - Ad magisterii munus in disciplinis philosophicis, theologicis et iuridicis assumantur, Superiorum maiorum iudicio, ii qui, ceteris paribus, laurea doctorali sint praediti, vel saltem in iis disciplinis omnino periti. Eligantur praeterea sacerdotes non doctrina tantum, sed etiam virtutibus ac prudentia praestantes, qui verbo et exemplo alumnis prodesse possint.

§ 2. - Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant.

197. - Studiorum tempore, professoribus et alumnis ne imponantur opera, ministeria, vel officia, quae a studiis eos avocent, vel scholam quoquo modo impediunt.

198. - Visitatores, pro sua prudentia, scholasticos et neosacerdotes pietate et

119

ingenio praestantes Romam mittant, vel ad aliquam Universitatem ab Ecclesia approbatam, ut inibi studia sacra perficiant et academicos gradus consequantur.

199. - § 1. - Quoniam curiositas reum facit, non peritum, et scientia inflat, omnes, praesertim scholastici, continuo invigilabunt, ne illa inordinata sciendi cupiditas corda sua sensim invadat, cum detrimento proprii progressus spiritualis.

§ 2. - Non tamen desinant studiis ad functiones missionarii rite obeundas necessariis immense vacare, dummodo precipua cura sit addiscere scientiam Sancto rum, quae in schola Christi docetur, ita ut omnes nonnisi Iesum Christum induere et praedicare valeant.

200. - Quandoquidem novae et particulares opiniones plerumque nocent et suis auctoribus et sectatoribus, cavebunt omnes et singuli ab eiusmodi novitate et peculiaritate; imo semper in dictis et in scriptis, quoad fieri poterit, convenient.

201. - § 1. - Scholasticorum nostrorum cura committatur Directori, qui eorum

120

animum ad nostri status perfectionem informet, opportunis monitis et exhortationibus, ac omni studio et diligentia consulat ut spiritum humilitatis, paupertatis, obedientiae, mortificationis et orationis, quem scholastici e Seminario haurire debuerunt, fideliter retineant.

§ 2. - Invigilet Director ne ita pietati animum applicent, ut studia negligant, neque, e contra, ita in studia incumbant, ut exercitia spiritualia praetermittant vel perfunctorie absolvant.

202. - § 1. - Director scholasticorum praesentatur a Visitatore, sed a Superiore Generali confirmari debet.

§ 2. - Director communem observantiam et debitam Superiori domus submissionem exacte servabit.

203. - Non desit in scholasticorum domo deputatio confessoriorum, ad normam can. 1361, firmo pro iis quoque iure can. 519.

204. - Institutant Visitatores in sua quisque provincia Praefectum studiorum.

121

205. - Expleto studiorum curriculo, omnes sacerdotes, nisi a Superiore maiore ob ius tam causam fuerint exempti, examen singulis annis per integrum quinquennium in diversis sacrarum scientiarum disciplinis, ante a opportune designatis, subeant secundum modum praescriptum a Visitatore.

206. - Collationes de re morali et liturgica a habebuntur in singulis domibus, etiam in Seminariis maioribus, iuxta tempus et modum in Congregatione usitatum.

122

TITULUS IX

DE SACRA ORDINATIONE

207. - Sodales Congregationis a nullo Episcopo ordinari licite possunt sine litteris dimissoriis proprii Superioris maioris.

208. - § 1. - Superioris Generalis et Visitorum est litteras dimissorias pro suis subditis ubique existentibus dare.

§ 2. - Professis votorum temporariorum litteras dimissorias concedere dumtaxat possunt ad primam tonsuram et ordines minores.

§ 3. - Antequam illas concedant, cum suo Consilio examinare debent utrum adsint omnia requisita ad suorum ordinationem, et, si de his vere constiterit, licite illos admittent ad ordines ac litteras dimissorias conficient.

209. - Litterae dimissoriae testari debent:

123

1° Promovendum esse de familia domus Superiori maiori subditae;

2° Eum emisisse vota temporaria, si agatur de ordinibus minoribus aut de prima tonsura, et vota perpetua pro ordinibus maioribus;

3° Contineant praeterea testimonium de ultima ordinatione aut, si agatur de prima tonsura, de receptis baptisate et confirmatione;

4° Insuper, de studiis peractis ad normam can. 976, necnon de examine, de exercitiis spiritualibus, deque aliis quae a iure canonico exiguntur;

5° Denique de iureiurando emisso circa celibatus legem et onera status ecclesiastici propria libere amplectenda (cfr. Instruct. S. Congr. de Sacramentis, die 27 decembris anni 1930 et Instruct. S. Congr. de Religiosis, die 1 decembris anni 1931).

210. - Titulus canonicus sacrae ordinationis est titulus mensae communis vel Congregationis.

124

TITULUS X

DE FRATRIBUS COADIUTORIBUS

211. - Necessè est ut coadiutores, sicut et alii missionarii, pro virium tenuitate, spiritum Christi induant, virtutesque eius, praesertim simplicitatem, humilitatem, mansuetudinem, mortificationem, zelumque animarum studiose colant.

212. - Requiritur proinde ut Constitutiones communes, sicut et speciales Regulas ad suum cuiusque officium pertinentes, exacte observent, in pia exercitia diligenter incumbant, et lectioni libri spiritualis quotidie vacent.

213. - Tempus ne terant inutiliter; praesertim vitent familiaritatem cum externis, in proprio officio occupati, ordinem et bonum temporale domus prae oculis habentes.

125

214. - Ad plurima peccata contra paupertatem et alia gravia incommoda praecavenda, rationem expensarum fideliter reddant oeconomò secundum proprias fratrisque emptoris Regulas.

215. - Curandum maxime erit a Superioribus ut fratres coadiutores intersint lectionibus et collationibus spiritualibus in Congregatione usitatis, et sedulo instituantur ad christianam vitam et proprias Instituti nostri virtutes.

216. - § 1. - Fratres coadiutores honore prosequantur sacerdotes ut ministros Christi et ministrabunt eis in Domino, respicientes eos oculis fidei ut personas sacras et patres spirituales, iisque humiliter obediant.

§ 2. - Ab ipso probationis tempore, conentur addiscere aliquam artem factivam, domibus utilem.

217. - Nullus ex coadiutoribus ad statum ecclesiasticum adspirabit; meminerint enim fratres nostri, etiamsi

126

dignitate sacerdotali non polleant, unum cum clericis corpus efformare, i. e. Congregationis, cuius sunt, S. Patris nostri Vincentii dictu, membra pretiosa.

127

TITULUS XI

DE OBLIGATIONIBUS ET DE PIIS EXERCITIIS

CAPUT I

De obligationibus

218. - § 1. - Sodales omnes et singuli debent, non solum vota quae nuncuparunt fideliter servare, sed etiam secundum Constitutiones vitam componere atque ita ad perfectionem sui status contendere.

§ 2. - Servandae quoque sunt Regulae peculiare officiorum et Decreta Conventuum generalium.

§ 3. - Praescripta disciplinaria Regularum et Constitutionum, quamvis non obligent sub culpa, sed ad poenitentiam subeundam forte impositam a Superioribus, transgressio tamen eorum positivam imperfectionem secum fert, culpam vero si ex formali contemptu, vel

128

ex pravo motivo procedat, vel scandalum generet. Praescripta vero quae leges divinas vel ecclesiasticas, vota aliasve virtutes respiciunt, in conscientia, pro gravitate materiae, obligationem retinent.

§ 4. - Insuper praescripta quae Congregationis regimen spectant, item quae definiunt regiminis necessarias functiones aut munera et officia quibus exercetur (nempe quoad ipsorum cardinales normas), praeterea praescripta quae naturam et finem specialem Instituti nostri statuunt et consecrant, in conscientia, pro gravitate materiae, obligant.

219. - Maxima aestimatione et veneratione omnes prosequuntur Regulas communes a sancto Patre nostro Vincentio datas, ut quae codicem perfectionis proprium Instituti nostri constituent. Hic iuvat aliquot documenta sancti Fundatoris referre.

220. - § 1. - Circa modestiam meminerimus quod, cum ex Instituto nostro teneamur cum proximo frequenter agere, timere semper debemus, ne, quod functionibus et ministeriis nostris in Domino

129

redificaverimus, id malo exemplo vel minimae immodestiae destruamus.

§ 2. - Quapropter omnes efficient ut nihil leve aut puerile nihilque affectatum aut mundanum in gestu, in habitu, in incessu appareat.

§ 3. - Et, ut facilius et citius coram aliis modestiam nostram exhibere valeamus, unusquisque privatim etiam solus in cubiculo modeste se habere, Deum praesentem intuendo, sollicitè studebit, et nemo e cubiculo, nisi decenter vestitus, egredietur.

221. - § 1. - Apud nos silentium extra recreationis tempus servabitur, ita ut nemo sine necessitate loquatur, nisi obiter et verbis perpauca, ac voce submissa, maxime in ecclesia, in sacristia, in dormitorio et in refectorio.

§ 2. - Quocumque autem tempore loquamur, etiam horis conversationi destinatis, semper a nimia vocis elatione et contentione cavebimus, cum inde et nostri et externi possint malam accipere aedificationem.

§ 3. - Ad maiorem silentii observationem, attendet unusquisque ut, dum

130

in cubiculo versatur vel per domum praesertim noctu incedit, vel etiam ianuas aperit vel claudit, quoad fieri poterit, strepitus non edatur.

222. - § 1. - Quoad quotidianas conversationes ac recreationes, ita modestiam cum hilaritate coniungemus, ut semper, quoad fieri poterit, utile dulci misceamus et omnibus exemplo nostro praeluceamus.

§ 2. - Nemo de administratione domus curiose inquiret, aut de ea cum aliis sermonem habebit; aut contra Congregationis Constitutiones et Regulas vel pias etiam consuetudines sive directe, sive indirecte loquetur.

§ 3. - Nemo de victu, vestitu et cubitu conqueretur.

223. - § 1. - Ut caritas fraternitatis ac sancta unio semper maneat in nobis, singuli se invicem magna reverentia prosequuntur, in morem tamen carorum amicorum; particulares autem amicitias, perinde ac aversiones, diligenter vitabunt, cum haec duo vitia esse originem divisionum ac ruinam Congregationum, experimento compertum sit.

131

§ 2. - Nemo aliorum, maxime Superiorum, famam vel leviter attinget, aut contra illos commurmurabit, aut quidquam, quod in nostra Congregatione, sicut et in aliis communitatibus fiat aut dicatur, censura notabit.

§ 3. - Nemo in malam partem de aliis nationibus, vel provinciis loquetur.

§ 4. - Omnem in colloquendo pertinaciae aut contentionis speciem magna diligentia fugiemus; quin etiam aliorum sententiam nostrae in omnibus non illicitis, quoad fieri poterit, antepone in Domino studebimus.

§ 5. - Imprimis autem cavebunt omnes ne inter colloquendum quidquam moleste aut aegre erre, aut se offeso in aliquem ostendent, aut verbo vel factis, aut alio quovis modo laedant.

224. - Curent Superiores locales ut, praeter consuetam lectionem privatam, saltem semel in anno, stans diebus, publice legantur nostrae Constitutiones, itemque Decreta quae publice legenda S. Sedes praescribet.

225. - Decreta autem Conventuum

132

generalium in nostris domibus legenda sunt semel in anno coram sacerdotibus et clericis, qui vota emisissent.

226. - Christianae catechesis habeatur instructio, saltem bis in mense, pro nostris fratribus coadiutoribus et pro familiaribus, audientium conditioni accommodata (cfr. can. 509, § 2, 2°).

227. - § 1. - Ius et officium est Superioribus per se vel per alium nostris aegrotis, etiam seminaristis, aliisque in domo nostra diu noctuque commorantibus causa famulatus, aut educationis, aut hospitii, aut infirmæ valetudinis, Eucharisticum Viaticum et extremam Unctionem ministrandi.

§ 2. - Defunctis nostris detur mediocre funus in ecclesiis aut oratoriis nostris ad normam can. 1221; quoad alios supradictos serventur can. 1216-1218.

§ 3. - Ad suffragia Nostrorum quod attinet, norma generalis hæc erit:

1° Pro singulis e Congregatione defunctis a singulis sacerdotibus una Missa celebretur; fratres autem, tam clerici, quam laici, unam Communionem offe-

133

rant et aut Rosarium B.V.M. recitent, aut Officium Defunctorum;

2° Nulla alia specialis obligatio urget domui, in qua quis e vivis decesserit;

3° Una Missa quolibet mense celebrabitur a Sacerdotibus nostris pro duplicis Familiae defunctis, addendo specialem intentionem pro conservando spiritu Congregationis primigenio; similiter eandem intentionem habeant fratres nostri, sive clerici sive laici, tam in Communionibus, quam in recitandis precibus præscriptis pro defunctis nostris;

4° Provinciae pauperiores recurrere possunt ad Superiorem Generalem ad aliquam reductionem obtinendam.

228. - Ius et officium advigilandi ut onera Missarum adimpleantur in nostris domibus et ecclesiis ad Superiores directe et immediate pertinet.

229. - Superiores maiores Congregationis tenentur, singulis saltem annis, librum in quo numerus, intentio, eleemosynæ, celebratio Missarum notantur, per se vel per alios diligenter recognoscere.

134

230. - § 1. - Litteras nullus scribet, mittet aut aperiet absque facultate Superioris; scriptas quisque dabit patentes Superiori, ut eas vel mittat, vel retineat, prout sibi visum fuerit.

§ 2. - Omnes autem sodales possunt litteras mittere, nulli obnoxias inspectioni, ad S. Sedem eiusque in natione Legatum, ad nostros Superiores maiores, ad Superiorem domus forte absentem, et ab ipsis omnibus litteras, item nemini inspiciendas, recipere.

231. - § 1. - Nemo domo egredietur, nisi quando visum fuerit Superiori, cuius erit socium designare, si conveniens iudicaverit.

§ 2. - Cum quis facultatem petierit aliquo eundi, simul aperiet quo et cuius causa ire velit; rediens vero, Superiori rationem reddet eorum quæ gesserit.

§ 3. - Nemo ante lucem egredietur, et ante noctem unusquisque domum se recipiet, nisi officiorum necessitas aliud exigat.

§ 4. - Externos adeuntes, Nostri cum illis non loquentur nisi de rebus necessariis, aut ad salutem et aedificationem

135

ipsorum aut propriam, aut utrumque conducentibus; idque ea qua par est gravitate ac modestia iuxta personarum, laicorum et temporum adiuncta.

§ 5. - Superioribus fas non est permittere ut subditi extra domum degant, nisi gravi ac iusta de causa, atque ad tempus quo fieri potest brevius, iuxta normas in Congregatione traditas; pro absentia vera, quae sex menses excedat, requiritur semper venia Apostolicae Sedis, excepta causa studiorum et nisi agatur de exercitio functionum propriarum Congregationis.

232. - § 1. - Curent Superiores ut sodales, a se designati, praesertim in dioecesi in qua degunt, cum a locorum Ordinariis vel parochis eorum ministerium ad consulendum populi necessitati requiritur, tum intra nostras ecclesias aut publica oratoria, illud, salva disciplina Congregationis, lubenter praestent.

§ 2. - In nostris ecclesiis paroecialibus servetur, congrua congruis referenda, praescriptum can. 415.

§ 3. - Superiores advigilent ne divinatorum officiorum in nostris ecclesiis cele-

136

bratio, catecheticae instructioni aut Evangelii explanationi in ecclesia paroeciali tradendae nocumentum afferat.

233. - Nemo librum, aut componet, aut ex una lingua in alteram vertet, et in lucem edet, sine expressa tum approbatione, tum facultate Superioris Generalis, et servato praescripto can. 1385-1394 Codicis Iuris canonici.

CAPUT II

De piis exercitiis in Congregatione observandis

234. - Cum iuxta Bullam erectionis Congregationis nostrae, ineffabilia sanctissimae Trinitatis et Incarnationis mysteria peculiari ratione venerari debeamus: hoc accuratissime, et si fieri possit, omnimode adimplere conabimur, sed maxime haec tria peragendo:

1° Crebro fidei et religionis actus erga huiusmodi mysteria ex intimo corde eliciendo;

2° Ad illorum gloriam. singulis diebus,

137

aliquas preces et pia opera offerendo; et praesertim ipsorum festa cum solemnitate et maxima, qua poterimus, devotione celebrando;

3° Vigilanter enitendo, ut eorumdem notitiam, honorem et cultum in animos populorum, sive instructionibus, sive exemplis nostris ingeneremus.

235. - § 1. - Et quoniam, ad illa mysteria optime colenda, nullum praestantius dari potest medium, quam debitus cultus et bonus usus sacrosanctae Eucharistiae, sive illam spectemus ut sacramentum, sive ut sacrificium; quippe quae in se veluti summam ceterorum mysteriorum continet, et per se animas digne communicantium et rite sacrificantium, sanctificat et tandem glorificat; et hoc pacto, Deo, uni et trino, et Verbo incarnato amplissima gloria accedit: ideo nihil erit nobis commendatius,

quam ut erga hoc sacramentum et sacrificium honorem debitum exhibeamus sancte celebrando et quotidie visitando.

§ 2. - Quin etiam mente sollicita satagamus, ut ei ab omnibus idem honor et reverentia reddatur: id quod praestare

138

pro viribus nitemur, praesertim impediendo, quoad fieri poterit, ne circa illud quidquam irreverenter agatur aut dicatur; et sedulo alios docendo, quid de hoc tanto mysterio credere, et quomodo debeant illud venerari.

236. - Et quia eadem Bulla nobis praeterea expresse commendat, ut similiter beatissimam Virginem Mariam peculiari cultu veneremur, et idipsum alioqui variisque titulis debemus praestare: omnes et singuli id perfecte, Deo auxiliante, exsequi contendemus:

- 1° Singularem devotionem hanc dignissimam Christi Matrem et nostram quotidie colendo;
- 2° Ipsius virtutes, maxime humilitatem et castitatem, pro viribus imitando;
- 3° Alios, quoties sese offeret opportunitas ac facultas, ardentem cohortando, ut ei eximum honorem, ac dignum servitium constanter reddant;
- 4° Eam mariano Rosario quotidie colendo.

237. - § 1. - Maxima erit nobis curae officium divinum debite persolvere, quod

139

quidem ritu romano et, quoad fieri poterit, in communi, etiam in missionibus, recitabimus.

§ 2. - In quocumque autem loco vel tempore horas canonicas persolvamus, meminerimus, qualem ad id reverentiam, attentionem ac devotionem adhibere debeamus, qui certo scimus nos laudes divinas tunc celebrare, ideoque officio fungi angelorum.

238. - § 1. - Cum inter praecipua missionum nostrarum ministeria, illud sit, alios ad dignam et frequentem sacramentorum paenitentiae et eucharistiae receptionem cohortari: conveniens est ut et nos potiori ratione, hac re, illis exemplo praeluceamus. Id igitur perfectissime adimplere studebimus.

§ 2. - Et, ut omnia secundum ordinem fiant: sacerdotes bis aut saltem semel in hebdomada paenitentiae sacramento conscientiae maculas eluent, et quotidia, nisi quid obstat, missam celebrabunt.

§ 3. - Ceteri vero, qui sacerdotes non sunt, singulis diebus sabbati et vigiliis praecipuorum festorum confitebuntur ac

140

rite dispositi, sanctissimum Corpus Christi, imo etiam quotidie, recipient (can. 595, § 2), et quotidie missam audient.

239. - Cum Christum Dominum, in eo quod, praeter diurnas meditationes, in oratione Dei pernoctabat, omni ex parte imitari non valeamus, iuxta tamen nostram tenuitatem id agemus. Ideo

omnes et singuli orationi mentali, per unam horam, singulis diebus, et ex more Congregationis, in communi, et in loco ad id assignato, sedulo vacabunt.

240. - § 1. - Unusquisque sataget, ut nullum diem praeterire sinat, quo non aliquid ex aliquo libro spirituali, iuxta propriam animae necessitatem, per tempus a Superiore vel Directore assignatum, legat.

§ 2. - Sacerdotes insuper, et omnes clerici, caput unum Novi Testamenti legent; et hunc librum, tamquam christianae perfectionis regulam, venerabuntur; ad maiorem autem profectum, huiusmodi lectio fiet flexis genibus et nudo capite.

141

241. - Ad clariorem defectuum nostrorum cognitionem habendam, et sic, cum divino auxilio, eorum expiationem, maioremque animae puritatem assequendam, omnes et singuli quotidie duplici examine conscientiae utentur: altero quidem particulari, quod ante prandium et camam de aliqua virtute sibi acquirenda, aut vitio extirpando, breviter fiet; altero vero generali, quod de singulis diei actionibus fiet paulo ante cubitum.

242. - Ut solitudinem Christi, illam maxime dierum quadraginta, quos mansit in deserto, veneremur, omnes et singuli, tum clerici, tum fratres coadiutores exercitia spiritualia cum confessione ab ultima generali peragent, seminaristae quidem sexto quoque mense, ceteri vero singulis annis utrumque praestabunt iuxta Congregationis morem.

243. - § 1. - Et sicut vix in virtute progressum facere quis potest sine alicuius directoris spiritualis adiumento, ita nisi dirigendus aliquoties cum proprio Directore, de statu suo interiori, ut par

142

est, communicet, difficillimum est ut ad perfectionem sibi convenientem perveniat.

§ 2. - Quapropter omnes et singuli rationem conscientiae, sacerdoti Congregationis cui maluerint in Domino, saltem tertio quoque mense, maxime cum exercitiis spiritualibus vacabunt, cum omni sinceritate et devotione reddent.

244. - Conferentiis de rebus spiritualibus, quae fient semel saltem in hebdomada, omnes diligenter et devote aderunt, quae quidem, ut plurimum, spectabunt propriae voluntatis, propriique iudicii abnegationem, voluntatis divinae in omnibus faciendae exercitationem, unionem fraternam, propriae perfectionis zelum, et in aliis virtutibus progressum, maxime in simplicitate, mansuetudine, humilitate, mortificatione, et zelo animarum, ex quibus virtutibus spiritus Missionis componitur.

245. - § 1. - Ut aliquantulum, et pro nostra tenuitate imitemur Christum, in eo quod humiliavit semetipsum et inter iniquos voluit reputari, qualibet feria

143

sexta singuli suam culpam coram aliis dicent Superiori, vel alteri ipsius Superioris vices gerenti; idque tam domi, quam in missionibus; et aequo animo admonitiones ac paenitentias sibi datas acceptabunt.

§ 2. - Servanda pariter erit pia illa consuetudo petendi in capitulo, ut ibi publice de nostris defectibus admoneamur; et tunc quisque in spiritu humilitatis, huiusmodi admonitionem facere curabit.

246. - Praeterea, ut amorem propriae abiectionis citius in nobis augeatur, et hoc pacto in via perfectionis magis ac magis proficiamus, quaslibet humiliationis occasiones, etiam extra capitulum, et quocumque tempore nobis oblatas, requamiter amplecti in Domino nitentur.

247. - § 1. - Etsi labores missionariorum non sinant eos, per regulam aliquam, mortificationibus corporis et austeritatibus onerari, illas tamen unusquisque plurimi faciet, ad easque affectu animi semper propendebit; imo poterit, prout

144

sanitas et seriae occupationes permittent, illis uti, exemplo Christi et primorum christianorum et etiam multorum, qui, pleni spiritu paenitentiae, vivunt in saeculo.

§ 2. - Nemo tamen, inconsulto Superiore vel Directore, ullas mortificationes corporales, nisi in confessione iniunctas, assumet.

248. - Ut aliquo modo passionem Christi honoremus, quisque feria sexta cui usque hebdomadae in serotina refectioe contentuserit uno ferculo, eoque oleribus aut leguminibus, nisi in missionibus, aut iter faciendo.

249. - Feria secunda et tertia post dominicam Quinquagesimae, a carnibus domi abstinebimus, ut hac minima mortificatione Deum eodem tempore colamus, quo eum plerique christiani suis dissolutionibus, et comensationibus graviter offendunt.

250. - Insuper ordo diei in Congregatione consuetus, exacte ab omnibus sive domi, sive in missionibus observa-

145

bitur, maxime quoad horas surgendi et decumbendi, orationi vacandi, divinum officium recitandi, cibum sumendi.

251. - Ut mens simul cum corpore reficiatur, in omnibus domibus nostris, necnon in missionibus, in mensa per totum refectiois tempus, lectio habebitur.

252. - Servandae quoque erunt aliae laudabiles Congregationis consuetudines, cuiusmodi sunt istae:

1° Immediate ante egressum domus, sicut et post reditum, ecclesiam adire et Christum in sacramento salutare;

2° Pauperes, maxime mendicantes, cum sese offeret opportunitas, praesertim peregre eundo, catechizare;

3° In ingressu et egressu cubiculorum domesticorum, genua flectere, ut ante actionem Deum invocemus, et post eam ei gratias agamus.

146

TITULUS XII

DE MINISTERIIS CONGREGATIONIS

CAPUT I

De missionibus, de Seminariis et de ceteris Congregationis functionibus erga proximum obeundis

253. - § 1. - Unusquisque, cum sese offeret occasio, consilio et admonitione proximum iuvare nitetur, et ad bona opera exercenda eum incitabit.

§ 2. - Nemo tamen curam dirigendi aliquem suscipiet, nisi in exercitiis spiritualibus, missionibus, illisque Congregationis domibus, in quibus Nostri regimen habent animarum, cum ad id applicati fuerint a Superiore.

§ 3. - Sed in iis etiam, nemo, absque licentia et approbatione Superioris, ulla instructiones vel vivendi formulas scripta unquam dabit.

147

254. - § 1. - Nemo publice concionabitur, aut e suggestu catechizabit, nisi fuerit ad id a Visitatore approbatus, et ab eadem Visitatore, aut a suo Superiore immediato ad id applicatus, et debita canonica missione munitus, ad normam can. 1328.

§ 2. - In missionibus tam en poterit eo rum director, cum expedire in Domino iudicaverit, et sit periculum in mora expectandi per litteras responsum Superioris, concionatores et catechistas ad tempus mutare, alios substituendo, dummodo de ratione huiusmodi mutationis, quamprimum poterit, Superiorem admoneat.

255. - § 1. - Ituri ad missiones semper habeant facultates concionandi et audiendi confessiones ab Ordinario loci in quo missio tradenda est.

§ 2. - Peractis missionibus, antequam revertantur domum, Dominis nostris Episcopis, si ita ipsis visum fuerit, referent quae circa illas gesserint; sed prius consulendus est Superior, ut personam et modum ad id agendum designet.

148

256. - § 1. - In ingressu et egressu missionis petent omnes benedictionem a parochis, et, si absint, ab eorum vicariis.

§ 2. - Nihil maioris momenti facient, nisi prius iis communicaverint; et, ipsis invitis, quidquam aggredi cavebunt.

257. - In missionibus omnia nostra exercitia, in quantum fieri poterit, gratis peragemus; oblata tamen habitatione vel sustentatione uti licebit. Si forte parochi sponte retributiones offerant, eas, ut eleemosynas ad necessitates Instituti sublevandas, Nostri acceptare queunt, Superiori domus tradituri.

258. - Unusquisque debet ardentem optare et etiam, cum res postulat, humiliter petere, ut visitandis aegris, aut iurgiis et litigiis componendis, maxime in cursu missionum, applicetur; attamen, ut caritas per obedientiam sit bene ordinata, nemo huiusmodi opera misericordiae suscipiet sine licentia Superioris.

259. - § 1. - In proponendis dubiis circa casus conscientiae in confessione occurrentes, magna prudentia et cautela

149

adhibenda erit, ita ut nunquam possit dignosci persona de qua agitur.

§ 2. - Ut autem malis, quae in de possent oriri, occurratur, nemo dubia de ullo casu conscientiae alicuius momenti in confessione audito proponet, nisi prius consulto Directore missionis.

260. - In missionibus ordo peculiaris et praescriptiones directorii, diligenter equidem ac religiose serventur quoad fieri poterit, non neglectis omnibus novis mediis, quae ad ministerium efficacius reddendum apta sint.

261. - Visitoris est instituere Directorem missionis, cui missionarii simul cum illo laborantes, cum omni humilitate in omnibus, tanquam Christo, obediant.

262. - Missiones quoque apud infideles, tantopere a S. Sede commendatae, et a sodalibus nostris iam aetate S. Vincentii Patris nostri inchoatae, nobis maxime cordi erunt; quare omnibus viribus satagere debemus, ut missiones Congregationi nostrae concredita conserventur ac floreat.

150

263. - In territoriis missionum, praeter statuta ac Regulas nostras, sequi quoque tenemur praescripta can. 293-311 Codicis Iuris canonici, et peculiaris S. Sedis decreta et instructiones.

264. - Curandum est ut in missionibus nostris una saltem domus formata habeatur, et visitatio canonica, quoad fieri poterit, a Visitoribus regulariter fiat.

265. - Inter apostolici muneris praecipua munia praestat ut missionarii in formationem cleri indigenae, sive religiosi, sive saecularis, sicut traditum est, incumbant.

266. - § 1. - Diligenter describantur bona missionis, ea discernendo quae sunt propria missionis, ab iis quae ad Institutum nostrum spectant; illa administranda sunt ad normam Instructionum S. Sedis (S. Congregationis de Propaganda Fide, vel S. Congregationis pro Ecclesia Orientali); ista vero ad normam Constitutionum nostrarum.

§ 2. - Curandum erit ut erigantur

151

saltem quaedam domus, servatis de iure servandis, quae pertineant ad nostram Congregationem.

267. - Quoad bona quae recipiuntur in missionibus, attendendum est ad intentionem offerentium.

268. - Perutile, imo necessarium est, pro felici missionum exterarum successu, studium accuratius et usuale saltem unius inter praecipuas linguas locorum, ubi missionarii commorantur, sive propter ministeria inter catholicos exercenda, sive propter fidem inter infideles, schismaticos et haereticos propagandam.

269. - § 1. - Quoniam monialium et religiosarum directio missiones aliasque Instituti nostri functiones non parum moraretur, omnes et singuli ab illis dirigendis omnino abstinebunt, nullusque eas invisit, aut apud illas praedicabit, etiam in ipso missionum cursu, nisi prius ad id expressam Superioris, saltem particularis, facultatem habuerit.

§ 2. - Et licet nostra Congregatio ad

152

Filias Caritatis dirigendas, ex ipsarum institutione iam deputata sit, nemo tamen ex Nostris illarum directioni operam dabit, aut apud illas se conferet, sine eiusdem Superioris licentia.

270. - Congregationi peculiaris erit cura, infirmos, non solum domesticos, verum etiam externos, cum Superioris consensu, invisendi ac sublevandi; illis tum corporalia, tum spiritualia subsidia, quae commode poterint, subministrando, praesertim in missionibus; et praeterea singularem curam adhibendo in Confraternitate Caritatis erigenda ac visitanda.

271. - § 1. - Simplicitas, quatenus primaria et maxime propria missionariorum virtus, ab iis semper et ubique est fideliter exercenda; illam tamen accuratius ad praxim redigemus in missionibus, maxime dum verbum Dei annuntiabimus rusticis, cum quibus, tamquam simplicibus, esse debet ex ore nostro sermocinatio eius.

§ 2. - Idcirco stylus concionum no-

153

strarum et catechismorum simplex erit et ad captum populi, necnon iuxta simplicem methodum, qua usa est usque adhuc Congregatio.

§ 3. - Propterea unusquisque a molli et affectata locutione abhorrebit; nec studebit in cathedra veritatis, curiosos et nimis exquisitos animi conceptus et inutiles argutias proferre.

272. - § 1. - Summi momenti est et finis alter Congregationis nostrae, studere cleri disciplinae: nam magnopere interest Ecclesiae dignos habere ministros; quapropter sodales Missionis, omni conatu, eximiae sanctitati vitae et haud mediocri scientiae vacabunt, ut apti inveniantur, ut aiebat S. Vincentius, ad hoc prorsus divinum ministerium, quando a S. Sede vel ab Episcopis invitati fuerint.

§ 2. - In directione Seminariorum, firmis nostris privilegiis, praeter Directorium nostrum diversarum nationum usibus aptatum, imprimis canones necnon decreta et instructiones S. Sedis et Ordinariorum locorum, Nostri fideliter sequentur.

154

273. - Insuper qui Seminariis externorum, directioni ordinandorum, conferentiis cum parochis et aliis ecclesiasticis, aut similibus exercitiis applicabuntur, illa simplici ac populari loquendi ratione similiter utentur; et insuper studebunt eos omnes, non minus ad pietatem quam ad doctrinam, tam exemplo, quam verbo, promovere; sed praesertim nitentur cum illis agere in omni humilitate, mansuetudine, reverentia et affabilitate. Qui vero exercitiis spiritualibus tradendis vacaverint, eadem, quoad fieri poterit, observabunt.

274. - Missionariorum zelo valde commendatur diffusio sacri Numismatis Beatae Mariae Immaculatae ad eius cultum promovendum moresque reformandos; item Scapularis rubri usus, praeseferentis Passionis D. N. Iesu Christi signa, necnon Orationis Christi in horto memoriam.

155

CAPUT II

De paroeciarum rectoribus

275. - Cum alicubi Congregatio habeat paroecias sibi concreditas, serventur a Nostris, qui munere parochi aut vicarii inibi funguntur, normae quae sequuntur.

276. - § 1. - Ad paroeciam Congregationi concreditam, Visitor sacerdotem e Nostris praesentat Ordinario loci, qui eidem, servato praescripto can. 459, § 2, institutionem concedit.

§ 2. - Huiusmodi autem parochus est, ratione personae, amovibilis ad nutum tam loci Ordinarii, monito Visitatore, quam Visitatoris, monito Ordinario, aequo iure, non requisito alterius consensu; nec alter alteri causam iudicii sui aperire multoque minus probare tenetur, salvo recursu in devolutivo ad Apostolicam Sedem.

§ 3.- Vicarii cooperatores a Visitatore, audito parochi, praesentantur Ordinario, cuius est eosdem approbare; eorum re-

156

motio iisdem normis regitur ac de parochis dictum est.

277. - § 1. - In iis quae ad disciplinam Congregationis attinent, sodalis sub est Superiori, cuius est proinde, et quidem private respectu Ordinarii loci, in eius agendi rationem circa observantiam votorum et Constitutionum inquirere, eumque, si casus ferat, corrigere.

§ 2. - Parochus vel vicarius, licet ministerium exerceat in domo seu loco ubi Superiores maiores ordinariam sedem habent, sub est immediate omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni Ordinarii loci, non secus ac parochi saeculares, unice excepta observantia disciplinae Congregationis nostrae.

§ 3. - Ubi parochus aut vicarius a suo munere defecerit, Visitator ius cumulativum cum Ordinario loci habet in eum paenas decernendi, ita tam en ut, si aliter a Superiore, aliter ab Ordinario decernatur, praevaleat decretum Ordinarii.

278. - § 1. - Bona, quae sodali nostro obveniunt intuitu paroeciae, cui praefi-

157

citur, ipsi paroeciae acquirit; cetera acquirit ad instar aliorum sodalium Congregationis.

§ 2. - Non obstante paupertatis voto, eidem licet eleemosynas in bonum paroecianorum, vel pro scholis catholicis aut locis piis paroeciae coniunctis, quovis modo oblatas accipere aut colligere, et acceptas sive collectas administrare; itemque, servata offerentium voluntate, pro prudenti suo arbitrio, erogare, salva semper vigilantia sui Superioris; sed eleemosynas pro ecclesia paroeciali aedificanda, conservanda, instauranda, exornanda accipere, apud se retinere, colligere aut administrare, pertinet ad Superiorem, si ecclesia est Congregationis; secus ad loci Ordinarium.

§ 3. - Quoad bona temporalia: si pecunia sit data paroeciae vel missioni aut Congregationi intuitu paroeciae vel missionis, pro eius collocatione, requiritur consensus praevius Ordinarii loci; cui ius quoque est cognoscendi de administratione fundorum legatorumque, quae fuerint tributa ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam,

158

itemque de administratione pecuniae datae paroeciae vel missioni, aut Congregationi, intuitu eiusdem paroeciae vel missionis.

159

TITULUS XIII

DE EGRESSU ET DIMISSIONE NOSTRORUM A CONGREGATIONE

279. - § 1. - Qui, perdurante vinculo votorum, e domo illegitime egressus fuerit cum animo non revertendi, vel qui, etsi legitime egressus, non redierit, eo animo se subtrahendi religiosae obedientiae, ab obligatione Constitutionum et votorum minime solvitur et sine mora ad Congregationem redire debet.

§ 2. - Item dicendum est de eo qui sine licentia Superiorum domum deseruerit cum animo revertendi.

§ 3. - Superiores debent eos sollicite inquirere et ipsos, si vera poenitentia acti redierint, suscipere, firmis tamen poenis in eos latis vel ferendis, ad normam can. 645 et 2386.

280. - Expleto tempore votorum temporariorum, sodalis libere potest Congregationem deserere, pariter Superior maior cum consensu sui Consilii, ob

160

iustas et rationabiles causas eundem potest a renovandis votis temporaneis vel ab emittendis perpetuis excludere, non tamen ratione infirmitatis, nisi certo probetur eam ante emissionem votorum fuisse dolose reticitam aut dissimulatam; si est clericus in sacris, debet redire ad propriam dioecesim et a proprio Ordinario recipi.

281. - § 1. - Durante tempore votorum, sive temporaria sint sive perpetua, Superior Generalis, cum consensu sui Consilii, potest sodales in casu legitimi egressus dispensare a votis.

§ 2. - Si sodalis est clericus in sacris, dispensatus a votis temporariis, ut supra ad propriam dioecesim debet redire; pro dispensato vero a votis perpetuis, dispensatio effectum suum non habet, nisi postquam Episcopum benevolum, qui eum acceptet, invenerit, et salvo can. 642; si, priusquam Episcopum benevolum invenerit, Congregationem reliquerit, suspensus manet.

282. - § 1. - Ipso facto habendi sunt tamquam legitime dimissi sodales:

161

1° Publici apostatae a fide catholica;

2° Qui fugam arripuerint cum muliere;

3° Attendantes aut contrahentes matrimonium aut etiam vinculum, ut aiunt, civile.

§ 2. - In his casibus sufficit ut Superior maior cum suo Consilio emittat declarationem facti; curet autem probationes facti collectas in domus registis servare. Mittat etiam omnes probationes ad Superiorem Generalem, ut dispenset a votis, et res ad S. Congregationem de Religiosis deferatur.

283. - § 1. - Sodalem, perdurante vinculo votorum temporariorum, dimittere potest Superior Generalis, cum consensu sui Consilii, per secreta suffragia manifestato, servatis quae sequuntur:

1° Causae, sive ex parte Congregationis, sive ex parte sodalis, debent esse graves, ut defectus spiritus religiosi inemendabilis, qui aliis scandala sit, defectus obedientiae, etc.;

2° Licet Superiori dimittendi certe causa innotescere debeat, non est tamen necesse ut formali iudicio compro-

162

betur, ac sodali semper manifestari debet, data ei plena respondendi licentia; eiusque responsiones Superiori sodalis dimittendi fideliter subiiciantur;

3° Contra dimissionis decretum sodali est facultas recurrenti ad Sedem Apostolicam; et, pendente recursu, dimissio nullum habet iuridicum effectum.

§ 2. - Dimissus ad normam § 1 ipso facto solvitur a votis in Congregatione emissis, salvo oneribus Ordini maiori adnexis, si sit in sacris, et firma obligatione redeundi ad propriam dioecesim; clericus autem in minoribus ordinibus constitutus, eo ipso redactus est ad statum laicalem.

284. - § 1. - Sodalis a votis perpetuis in Congregatione emissis dimitti nequit, nisi processu instituto ad tramitem can. 655-667.

§ 2. - Delicta seu motiva dimissionis ex iure communi praecipue accipienda sunt; addenda tamen:

1° A Congregatione illegitimus egressus ad normam art. 279;

2° Resistentia obstinata Superiori, in

163

virtute obedientiae praecipienti, iuxta Consultorum iudicium;

3° Monitis spretis, Regulas despectu formali conculcare;

4° Amplecti et cum pervicacia tueri doctrinas moribus vel disciplinae Ecclesiae aut Congregationis oppositas.

§ 3. - Post confirmationem sententiae a S. Sede datam ad normam can. 666, Superior Generalis sententiam executioni mandat, simul dispensando a votis; si clericus dimissus, est in sacris, et Episcopum benevolum receptorem invenerit, sub eius iurisdictione et speciali vigilantia maneat, servato praescripto can. 642; secus observentur can. 671 et 672, § 2; si est in minoribus constitutus, ipso facto ad normam can. 669, § 2 reducitur ad statum laicalem.

285. - In casu gravis scandali exterioris vel gravissimi nocumenti Communitati imminenti, a Superiore maiore, cum consensu sui Consilii, vel, si periculum sit in mora et tempus non adsit ad eundem Superiorem recurrenti, a Superiore locali, cum consensu sui Consilii, sodalis ad saeculum remitti potest, habitu

164

Congregationis illico deposito; sodali autem dimisso, statim processus, si non dum fuerit institutus, instituatur ad normam Constitutionum praecedentium et res ad S. Congregationem de Religiosis deferatur.

Hisce simul Litteris et auctoritate Nostra abrogamus et abrogata esse declaramus ea omnia, quae hisce Constitutionibus, per Nos approbatis, non continentur. Contrariis quibusvis nihil obstantibus.

Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces jugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc ei in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

165

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIX mens is Julii, in Solemnitate Sancti Vincentii a Paulo, anno MDCCCCLIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.

De speciali mandato Sanctissimi.

Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis,

*Gildo Brugnola
Officium regens Pontificiis Diplomatum expediendis.*